





Cont. libell. hor



5

DE  
R A T I O N E  
QVAM INTER SE HABENT  
HVMANI GENERIS IACTVRA  
ET REPARATIO  
DISPVTTATIO THEOLOGICA  
PRIMA  
QVAE EXPONIT DE LOCO CLASSICO  
*Ep. ad Rom. c. v. comm. XII. XVIII*

---

E A M  
PRAESIDE  
IO. DAVIDE HEILMANNO  
THEOL. D. ET PROF. ORDIN.  
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
A. D. I IVNII A. MDCCCLVIII  
DEFENDET  
CONRADVS DANIEL SCHVMACHER  
HAMELIENSIS  
PHILOGOGICI SEMINAR. SODALIS

---

GOETTINGAE  
TYPIS SCHVLZIANIS.



R. A. T. O. N. S.  
VON DER UNIVERSITÄT  
J. M. M. A. N. I. G. E. P. H. E. R. I. S. I. A. C. T. A.  
P. R. I. M. O.  
D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O. N. I. S.  
P. R. I. M. A.  
Q. U. A. E. E. X. P. O. N. I. T. D. E. E. C. C. O. N. O. M. I. A.  
P. A. R. T. I. S. I. S. T. O. R. I. A. S.

V. I. N. C. E. N. T. I. N. O.  
P. R. I. M. O.  
D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O. N. I. S.  
P. R. I. M. A.  
Q. U. A. E. E. X. P. O. N. I. T. D. E. E. C. C. O. N. O. M. I. A.  
P. A. R. T. I. S. I. S. T. O. R. I. A. S.







**E**t si omne sacrarum litterarum, quantaequantae sunt, argumentum et particulae omnes, cum rerum insita dignitate, tum diuinae originis sacramento, summo omnium studio ac meditatione dignae sint: tamen, (si licet vel in diuinis rebus diuinius aliquid caeteris cogitare) illae huius libri partes, in quibus grauissima quaeque religionis capita omnibus sui partibus explicata quasi ad arcanas huius sedes lectorem admittunt, et diuinorum de nostra salute consiliorum rationes momentaque et vim omnem luculenter aperiunt, praecipuo quodam studio et cura prosequendae esse videntur. Nam vt, flagitare tam prolixum Dei munus in rebus omnibus arduis, nimis curiosum sit atque etiam importunum: tamen, sicubi haec concessa nobis coelitus sit, quasi ex abundanti, benigni de nobis consilii accessio, non cupidè hoc ipsum arripere, fruique diuino munere, et pascere animum in lustranda decretorum diuinorum pulcherrimo ordine et consecutione admirabili, animi fuerit non solum negligentis, sed etiam dissoluti. Neque vero alia temere ratio est, quae possit animum vehementius aduersus Deum immortalem inflammare, et immensa eius de humano genere merita in illustriori luce ponere, quam si non solum, quam prolixa in miserum genus voluntate fuerit et gratia, perspicere liceat, verum etiam, quantas rerum quasi molitiones ea causa susceperit, et quam sollicitè in ordinandis aeterna lege consiliorum suorum rationibus prospexerit

A



rit, vt, cum suae maiestati derogare nihil posset, tamen seditiosam futuram multitudinem, quod fieri nullo modo posse videbatur, suppliciis liberaret, perditorumque saluti iam tum consulere. Quo in genere et alias habitat fere prae caeteris sanctis scriptoribus PAVLVS Apostolus, eaque re facile, vel consentiente LOCKIO, insumendum in τὸ δυνάμιον librorum suorum studium facile compensat; et in eo loco Epistolae ad ROMANOS, quem hac commentatione illustrandum sumimus, eximium illius instituti specimen edidit. Qui locus cum sit eiusmodi, vt possit quasi pars fatalis libri, decretorum diuinorum rationes continentis, haberi, foecundissima certe vniuersae religionis christianae principia contineat; nec tamen ita planus eius intellectus sit, vt omnibus continuo pateat; a multis etiam interpretibus, dogmaticis praesertim, cum in summa causae, tum in singulis sententiis aberratum sit: facile, vt opinor, destinatum huic scriptio- ni argumentum, aequis lectoribus probabo. Id autem agam, vt primum veram totius Paulini carminis sententiam, ac ratiocinandi modum contextumque, quantum potest, aperiam; ac deinde, quantum in eo situm sit ad doctrinas sacras momentum, distinctius coner explicare. Atque illud quidem nec concinnius, nec ad perspicendam integram auctoris sententiam aptius perferri posse puto, quam si liberiori primum circumlocutione eam persequar, causasque deinde, quae me, vt ita eam conciperem, mouerunt, breuiter subiungam.

Sed ante quam hoc agam, pauca necesse est de orationis serie praelibare, et repetere ex superioribus. Eaque res ita habet, vt Paulus, cum initio epistolae gratiam vniuersi generis mortalium, tam profanarum gentium c. I, quam Iudaeorum c. II. III, I-XIX, ob corruptissimos mores legesque improbe violatas, apud Deum inuidiam demonstrasset, atque inde comm. XX, quod erat nempe primum, deriuasset, neminem igitur suo merito, si ex legis praescripto agendum sit, stare iudicio posse aut causa vincere, tum comm. XXI-XXXI vnicum perditis hominum rebus a Deo paratum remedium, expromissoris, inquam, θεουδεῶπις meritis partam criminum nostrorum expiationem gratuitumque Dei fauorem, fiducia in nos deriuandum, ostendisset, eamque legem salutis iam olim valuisse, atque ita valuisse, vt nequitiam ad solos circumcisos pertinere, c. IV Abrahami potissimum exemplo, imitando posteris, comm. XXIII. XXIV declarasset; postremo illa Christi expiatione, vti primum ad Deum aditum, interclusum antea nobis, denuo patuisse, pacemque Dei redditam, ita ipsum illud insigne benevolentiae in homines diuinae documentum, in per-  
dendo



dendo pro hostibus filio vnico editum, iam ad praeclarissime reliquis in rebus omnibus de tam inusitato amore sperandum quasi signum aliquod sustulisse mortalibus, docuisset; iam nunc inde a comm. XII Cap. V, ipsam illud redimendi a suis malis stirpis humanae consilium vberius dilucidiusque exponat, eiusque ad vniuersum genus pertinentem salubritatem ex simili calamitatis societate, qua prima mali labes itidem ab vno ad omnes permanuerit, maxime seu demonstrare, seu persuadere lectoribus, et veram iustamque grauisissimi negotii notionem animis eorum ingenerare studeat. Quo simul id consecutus est apud prudentes lectores, vt iam omnium Dei O. M. in regendis humani generis fatis consiliorum recessus prope intimos inspicere, incredibilemque cum in ipsa crudelitatis suspitione bonitatem, tum in iuuandis miseris sapientiam admirari liceat.

Igitur hunc dabo primae partis illustris loci quasi commentarium:

Comm. XII.

S. I. Manet igitur id quod dixi, paratum esse meritis suo malo hominibus certum auxilium, et redditam esse desperatae salutis spem luculentam; constituto, qui eorum partes apud Deum susciperet, suumque omne meritum ad illorum causam transferret. Quo modo non dissimilis malo medicina reperta, atque ea parte, qua maxime videbantur laborare, hominibus subuentum est. Nam et ipsi vnus quondam infelici ac tristi promerito hanc mali vim in se deriuatam, ac diffusam per vniuersum genus olim senserant. Vnius culpa fuit, qua criminis dira pestis orbem inuasit, et longam malorum miseriarumque vim vna secum in omnem primi hominis posteritatem inuexit. Vnius foeda a conditore suo defectio fuit, quae non solum ipsum diuino immortalitatis iure priuauit, verum etiam omnibus deinceps tristem moriendi legem imposuit; quod omnes contracti nefario facinore criminis contagione polluisset, omniumque id iudicaretur flagitium, quod primus generis auctor et caput admiserat.

1. Hanc ego, quam prima sententia expressi, fere vim esse *graecarum* vocalium διὰ τῆτο, existimo. Quae cum idem haud dubie valeant, quod εῦ; haec autem, perinde vt *Latinorum igitur*, saepe solam sermonis consecutionem quandam designet, ac velut indicem continuandi superioris



rrioris argumenti repraesentet, etsi nulla causarum cum suis effectis coniunctio adfit: frustra laborasse puto interpretes de inueniendo aliquo causarum nexu, quo omnis illarum vocum vis, quam habent ab origine sua, confunderetur; longius etiam a vero recessisse, qui, quod ex illo genere nihil praebabile reperirent, ita eas acciperent, quasi promitteretur aliqua non iam argumentatio ex superioribus, sed ipsius causae et scopi eorum, quae dixerat auctor, declaratio; adeoque ἐξήξαν post διὰ τῆτο; q. t. d. *idque eam ob causam ita euenire debuit.* Quod genus interpretum nec cum Graeco more, nec cum reliqua nostri oraculi, maxime qua praegressa, συναφεία, in consilium iuisse videtur. Dicerent forte aliquid, si interrogatio quaedam, v. c. ἐρεῖς ἐν πῶς ἔσαι ταῦτα; τίς ποτ' ἂν εἴη ἡ θανάσιος αὐτῆ ἀπ' ἀλλὰξ, δι' ἧς τὸ τῆς ἐκείνης ἀρετῆς δικαίωμα εἰς ἐτέρων ἀδυνάτων ἀναφύροίτο; aut similis alia praecessisset, quae animum ad cupide et calide respondendum acuere potuisset. Sobrium et suo vnice animo in meditando obsequentem quemquam ita punctim locuturum fuisse, non est veri simile.

2. Sed alia incidit etiam grauior quaestio, quae de sequentis orationis vniuersae coagmentatione, et respectu inprimis, quem habet vocula ὡσπερ instituitur. De qua tres ferme sunt interpretum sententiae. Aliqui cum non satis longe prospicerent, in proximo autem nihil, quod illi responderet, inuenirent: totum hoc ἀνάσπατόστον esse relictum a PAVLO putarunt, a prudenti lectore facile explendum, ex quo numero sunt ERASMVVS, et, quem WOLFIVS incur. phil. excitat, IO. PRIDEAVX. Quae ratio, si quidem alia perfectior superest, per se concidet. Alii, qui hoc non ferunt, nec tamen e longinquo petendam ἀπόδοσιν probant, ex ipso hoc inciso construere plenam orationem satagunt, illudque quod sequitur, καὶ ἔτως, ad declarandam redditionem alterius membri referunt. Quibus primum hoc difficulter concedi potest, graece dici καὶ ἔτως pro ἔτως καὶ, quod nullo, vt opinor, exemplo probari potest: deinde hoc etiam difficilium, ἔτως in subiungenda ἀποδοσει pro ἔτω potuisse adhiberi: cum non nisi θενήσιως et absolute adhibeatur. Denique, quod his longe grauius est, etiam si haec commodissime se habent de vocum potestate: ipsa Apostoli sententia hoc modo vehementer laboraret, nec viam nec exitum haberet. Iam enim in quamcunque partem te veras; nihil sani ad explicandum illud διὰ τῆτο dici potest, si integra scriptoris sententia declaranda mortis origine contineatur. Nam ita nec continuabitur ac quasi resumetur superioris orationis silum; nihil enim de hac re antea dictum erat;



erat; nec, quod foret etiam alienius, deriuabitur aliqua ex superioribus conclusio. Mirum vero, in tam alieno interpretum ab remotiorum partium coniunctione animo, neminem tamen in illam sententiam incidisse, vt  $\omega\sigma\pi\epsilon\rho\varsigma$  pro  $\omega\varsigma$  positum diceret eo significato, quo hoc saepe vel abundat vel ad asseuerandum certo modo adhibetur ( $\omega\varsigma$  ἀπὸ συνθέσεως,  $\omega\varsigma$  ἐν μακροῦ,  $\omega\varsigma$  εἰς κενὸν et sim.); vt *Dionysius* quidem certe *Halic.* (A. R. p. 697.) fere in hunc sensum τῆτι, inquit, τὸ συνέδηλον ἀβαρῶν ὡσπερ ἐφ' ἐαυτῶ ποιῆι, pro eo quod simpliciter esset: τὸ ἐφ' ἐαυτῶ. Praesertim cum ista non sane inepta sententia hoc modo emergeret: *Eam ipsam ob rem* (quo posset deinde recte alienae quoque iustitiae fructus ad homines redundare, sec. com. VI. etc.) *permissum olim Adamo illud durum in speciem arbitrium in posteros suos, vt is suis prae factis omnes ex se oriundos vna reos faceret, et morti obnoxios redderet.* Ac poterat ne prorsus quidem otiosum iudicari ita putanti τὸ ὡσπερ, propterea quod id, quod Apostolus vni homini tribuit, a duobus repeti alio modo recte possit; neque adeo immerito *tanquam* additum esse videri poterat. Sed quo minus tamen in hanc partem eam, prohibet me consilium auctoris nimis clare pellucens, quo ad comparationem Adami et Christi omnis haec oratio spectare debuit; quod cum ex reliqua eius serie, tum clarissime ex comm. XVIII et XVIII apparet. Quae cum ita sint; nihil ultra relinquitur, nisi vt comm. XII pro sola protasi habeamus, cui deinde, post varia interiecta momenta, calidioris ingenii *Paulini* fructus, demum comm. 18 subiungatur sua apodosis, breuibus ibi repetita κατ' ἀναληψιν protasi, vocalisque insuper ἀρα εἶν, quorum haec fere vis est apud *Graecos*, vt reuocatam ad superiora orationem declarent, hoc clarius expressa. Vbi si quem offendat liberior, neque satis concinna, ob interpositorum multitudinem, oratio: is primo cogitare debet, credendi magistros nobis datos esse sacrorum librorum scriptores, dicendi non item. Deinde legat mihi III Epist. ad *Ephes.* integrum caput, vbi cum *Paulus* comm. I incepisset: τὸς χάριν ἐγὼ παύλος ὁ θεσμιος τῆ χειρὸ ἡσθε ὑπὲρ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν, subiuncta intercalatione εἴγε ἠκούσατε cet. (qua totum factorum suorum ordinem enarrat) initio demum cap. IV, post integra XXI incisa, praedicatum isti propositioni debitum cum simili ἀναληψι adiungit: ΠΑΡΑΚΑΛῶ εἶν ὑμᾶς ἐγὼ ὁ θεσμιος ἐν κυρίῳ, quo in loco nullum effugium superest.

3. Porro quod ad voces δι' ἐνός ἀνθρώπου attinet: lubens me ad eorum sententiam adiungo, qui eas non tam de vno pari hominum conium-



stissimo, quod, ut εἰς μίαν σάρκα ἕσονται dicitur Matth. XIX, V, vnum hominem constituisse nunquam legitur, quam de *Adamo* solo intelligunt, quem hic praecipue spectari aequum erat; quod *et* illi coram lata lex erat de non comedendo, *et* caput is erat hominum tum viventium, ad quem *Euae* factum simul pertinuit, *et* princeps posterorum auctor, ipseque adeo *Euae* quodammodo pater; quas ob causas omnes hic potissimum tanquam reliquorum hominum omnium personam gesturus spectari merito poterat. Non est igitur necesse, dicere, *Paulum* propterea quod ita comparatione cum Christo instituendae commodius iudicaret, vnum potius, quam binos nominasse. Sumsit id quod per se verum erat, et commode eo vsus est.

4. Sequitur illud ἡ ἀμαρτία ἐσθλθεν εἰς τὸν κόσμον. quod ego non tam de vitiositate naturae, deriuatae ab *Adamo* naturali generandi lege in omnes posteros suos intellectum velim, quam de illo simplici facto *Adami*, quo primum ille exemplum criminis edidit, nullo deinde, cum semel admissum esset, modo abolendum. *Locum fecit*, inquit, *in orbe peccato*, non viso hactenus, pulcherrimumque rerum ordinem tam tetra accessione foedauit. Nam etsi, quod cum summo dolore commemorare debemus, verissimum sit, illam quoque calamitatem ex primo hominum parente ad posteros eius dimanasse: tamen apparet, *Paulum* hic non de omni malorum genere, quod quacunq; ex parte ab *Adamo* in nepotes suos inuectum est, constituisse loqui, sed de prima solum et κρημωστέρα illa violatione legis diuinae de non comedendo agere, ex qua insecta hominum corruptio non nisi mediate, atque interueniente tum suae ipsius naturae corruptione, tum propagatione naturali fluxit. Sed hoc quoniam non omnibus, aut paucis interpretibus placet, vltius declarandum esse iudico. Igitur primum hoc mihi concedi puto, *Paulum* in vniuersa hac argumentatione a comm. XII-XIX vnum argumentum comprehendere, vt ex societate mali, inter *Adamum* et eius posteros, similem inter Christum et homines relationem iustitiae illustraret. Hoc si obtineo; iam non potuit variare sententias diuini scriptor, in proponendo *Adami* male de posteris suis merito, neque aliud atque aliud eius factum defultim accusare. Eandem igitur mali vim hic comm. XII significat, quam deinde comm. XV et XVIII repetit. At qui his in locis clarissime ἡ παράβασις, τὸ παράπτωμα, τὸ ἐνός παράπτωμα accusatur, illique ipsi per se mortis promeritum tribuitur, quod erat etiam necesse, si iusta erat ad Christi meritum comparatio futura. Ergo et comm.



comm. XII aut ἀμαρτία idem *Adami* facinus intelligendum erit, aut manifesto claudicabit orationis consecutio. Iam haec si recte se habeant: non erit difficile, de praedicato εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε iudicare. In quo nihil opus est vim vocabuli κόσμος sollicitè definire ut constringere arctius, duplici adhibita metonymia. Id dicit s. scriptor: *in rerum natura esse coepit* peccatum, *extirrit* iniustum ante malum. Nam etsi in malis genii iam tum insideret ea labes; tamen hominis vllius peccatum nondum extiterat; quo in genere vno versabatur s. scriptoris cogitatio.

5. In his, quae sequuntur, circa proxima, διὰ τῆς ἀμαρτίας, non necesse est morari. Eandem enim haud dubie vim habent, quam quae commodum nominata erat ἀμαρτία; atque adeo et ipsa de singulari factio *Adami* intelligi debere certum est. Maior aliquanto oritur de vocabulo θάνατος quaestio. In qua explicanda qui caeteris longius proficiscuntur, omnia mortis genera, vt solent a Theologis enumerari, nec aeterna excepta, intelligi volunt. Alii cum reliqua peccati supplicia non excludant, in primis tamen insignem illam corruptionem humanae naturae, qua velut emortua languet, omnibus ad recte facta viribus destituta. Quod neutris videtur concedi posse; siquidem similis peccati *Adamici* effectus a PAVLO describitur, qualis est iustitiae Christi, hoc est eiusmodi, qui imputatione continetur. Quo sumto nescio an quis ferream sententiam perlaturus sit, posteros omnes ADAMI ob singulare parentis sui factum aeternis supplicii a deo addictos fuisse. Spiritualem autem, quam vocant, mortem, id est vitiositatem naturae, etsi pro effecto Adamitici peccati haberi recte et ipsa possit, tamen ad physica potius eius confectaria referendam esse censeo, quam pro inflata a Deo, ob imputatum posteris primum parentis sui facinus, poena. Relinquitur igitur, vt naturalem mortem intelligamus, quae vt *Adamo* deterrendi eius causa primum proposita, ac deinde reperita iudicis sententia, post admissum facinus, denuntiata est; ita ob societatem culpae latius deinde in omne hominum genus saevit. Caeterum integra dictio ὁ θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον pro ratione, quam habet ad proxime praegressam, vt haec a nobis explicata est, eandem vim habebit, vt primum *coeperit esse mortalis hominis conditio*, inaudita antea, et ex diuino in condendo homine consilio plane exulans.

6. Haecenus igitur | S. Paulus de primo mali ortu. Iam accuratius eos definit, ad quos haec calamitas pertinuit, modumque ostendit et causas, quibus ea societas contineatur. Illud demonstrant verba

ὡς



εις πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διήλθεν, in quibus nihil est quod interpretem magnopere desideret, nisi vt eundem necessario intellectum ea habere meminerim, quem paullo ante de voce θάνατος effecimus. Modum rei gestae declarat partim vocula ἕως, quae, cum satis aperte sese ad praecedentia hoc *comm.* referat, in primam *Adami* a Deo O. M. defectionem, vniuersae hominum mortalitatis culpam palam confert; partim subiecta in fine *comm.* ratio ἐφ' ᾧ πάντες ἤμαρτον. In qua exponenda miror tam se torfisse interpretes, (vid. WOLFFII Curae philolog. in h. l.) eosque ipsos, qui verum, qua sententiam, viderunt, maluisse illud ex recondito et ficto verborum ordine et potestate exprimere, quam occupare planum et expeditum. Nihil enim certe agunt, qui ἐφ' ᾧ ad ἕνα ἀνθρώπων initio *comm.* memoratum referri volunt, et exponi *in quo*, quod et iuncturae sententiarum magnam vim facit, et ab vtitata potestate dictionis ἐφ' ᾧ abhorret. Vulgatissima ea *Graecis* est, ad causam declarandam, et eiusmodi quidem, quae non sola naturali lege aut necessitate naturae, sed interueniente iudicio intelligentis effectum contineat. Conuerti igitur haec debent planissime; *quandoquidem omnes peccauerunt*. Iam si porro quaeras, cuiusnam hic peccati homines arguat Apostolus, vno prope ore omnes interpretes vitiatam cuiusque naturam atque inde prognata crimina appellant. Ego vero, qui existimo, aut hic nihil dicere, quod ad summam causae pertineat, scriptorum sacrum, aut id ipsum dicere, quod aliquanto clarius *com. XV* eloquitur: τῷ τῷ ἐνὸς παραπτώματι πάντες ἀπέθανον, et, ne quis hoc quoque pro liberius dicto accipiat, studiosius etiam definit *comm. XVII*: τῷ τῷ ἐνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασιλευσεν, ΔΙΑ ΤΟΥ ΕΝΟΣ; recte inde me concludere arbitror: si vno vnus *Adami* maleficio morti via facta est, peccatum illud, cuius, rei esse mortalium singuli atque omnes hic dicuntur, eamque ipsam ob rem morti obnoxii, non aliud erit, nisi idem *Adami* admissum, omnibus tamquam auctoribus imputatum. \*)

Iam

\*) *Wetstenium*, cuius singulari etiam de causa intererat, vt illud, ἐφ' ᾧ πάντες ἤμαρτον, de suis cuiusque impie factis exponeret, miror tam frigide ac negligenter ornasse hanc causam; vt, cum *Paulum* hic asserere iubeat, omnes mortuos esse, quia omnes scelere se abstrinxerint, eundem vix tribus post verbis patienter audiat lectoribus suis persuadentem: multos esse mortuos, qui non peccarint, siue vt ipse commentatur: *Mortem multo larius regnum suum exercuisse, quam peccatum*. Nam quam ille commati XIII subiicit tamen ἐπίγνωσιν, totum genus humanum in duas



Iam pergitur ad comm. XIII & XIV, quae arctissime cohaerent, & quorum mentem ita conabimur repraesentare:

II. Non est quidem id infitiandum, quod omnium temporum tristi experimento constat; nunquam abfuisse, si de toto genere dicendum est, a peccandi licentia peruersitatem humani generis, dum exstitit, quae violari poterat, lex & obligatio diuina; qua vna re cum iusti atque iniusti limites signantur, tum peccato locus esse potest. Nunquam igitur occasione defuit peccandi dira cupiditas, paremque cum lege ipsa cursum tenuit. Peccatum est, dum peccari potuit. Verumtamen omni illo interuallo, quod inde ab *Adamo* per omnia deinceps saecula, ac per ipsam *Mosaici* instituti, legumque diuina huius viri auctoritate latarum aetatem cultumque effluxit, quot homines absumsit illamorti permitti in nostrum genus saeuienti licentia, qui nullo se crimine obstrinxerunt! quot in ipso aetatis ac vitae ingressu occupauit, ante, quam vllius legis ad eos venire notitia vel leuis suspicio potuit, siue adeo criminis vlla culpa ad eos pertinere! De his igitur quid statuemus? Quid nisi hoc, quod consideranti non difficile est animaduertere. Cum sit peccato poena diuinitus mors constituta; miseri autem isti nullo se crimine obstringere ipsi potuerint: relinquitur, vt ob illius criminis societatem pereant, aduersus quod primum graue illud supplicium sancitum atque exactum est; similisque eorum causa, qua illam violati interdicti diuini culpam, cum *Adami* fortuna iudicata est

duas classes diuidi, priorem, quae longe maximam partem contineat, eorum esse, qui contra rationem egerint, vitamque omnibus criminibus inquinatam vixerint, alteram completi paucos illos iustos *Sethum*, *Enosum* &c. de illis *Paulum* com. XIII agere, de his com. XIV: ea est eiusmodi, vt, quomodo inire rationes suas *Paulum* voluerit *WETSTENIUS*, egregie demonstrant; ad intelligendum autem, quomodo id ipsum dixerit *Paulus*, nihil sane conferant. Non hic *Paulum* explicat aut defendit, sed suum iudicium illi opponit. Idque hoc agit apertius, cum ad com. XIV. mortuos esse dicat *pios* & *iustos*, qui nullum facinus admiserint. Ita ille simpliciter & omnino, cum licuisset, pro genere saltem peccati & grauitate varis, hominum discrimen facere: qui non aequae grauiser atque *Adamus* peccarunt.



est. Grauis lex, ac triste omen ipso nomine posteris suis generis nostri conditor! Ita est; sed haec alias querendi tempus fuerit. Hoc nunc animaduerte, quam minime obscure iam tum alieni facti imputatio expressa sit, & quam suo illo facto & merito *Adamus* similem futuram alienae virtutis atque integritatis imputationem, restitutionemque humani generis, merito non suo perficiendam, adumbrauerit. Gessit ille, gessit illustrem, in acerbo suo casu, destinati iam tum diuinitus mortalibus sospitatoris effigiem, cuius factum non minus esset ad salutem generis nostri efficax, quam illius ad perniciem fuerat.

In hac paraphrasi quo longius recedendum mihi ab aliis interpretibus, iudicauit: hoc diligentius debeo elaborare, vt meam rationem lectoribus, si fieri potest, argumentis probem.

I. Primum igitur haec ἄρχη τοῦ νόμου cum interpretes plerique omnes vertunt, *vsque ad legem*, tametsi videantur vim vocum communissimam retinere: tamen cum id omnes intelligi volunt: iam ante legem (a *Mose* promulgatam), quod est etiam necesse, si suam illi conclusionem tueri velint, ita eam re vera deserunt, vt villo se tueri exemplo simili eos posse desperem. Scilicet contrarium plane significatum induere iubent voc. ἄρχη, quae, cum decursum temporis inferat, regressum ad superiora hic declarare inbetur. Video equidem, ita hoc posse ornari, vt, si paullo plenius dicatur, ἦν γὰρ ἡδὴ ἐν τῷ ἄρχῃ τῆ νόμου διήκουτι χρόνῳ, nihil iam esse pugnetur in ista formula ab vltima τῆ ἄρχῃ significatione alienum. Atque ita etiam puto sibi consuluisse, qui hanc sententiam sequuntur. Quod ego facile fero, si ipsi mihi dederint, ἀπὸ θεῶ recte verti in *deum*, propterea quod ἀποστάντες ἀπὸ θεῶ recte reddi possit: in *Deum rebelles*. Nempe si subsidiarias huiusmodi notiones ac voces, in illis dictionibus, quae satis per se iustam sententiam efficiunt, nec ἐλλείψεως exstantia quaedam signa produnt, admittere iuuet: quae non exisset interpretandi licentia? \*) Hoc igitur, vt puto, non succedet. Superest, vt meam interpretationem *quam diu*

\*) Vnum mihi forte obuerti poterat ex Act. XXVII, xxxiii: ἀρχῆς ἢ ἡμελλεν ἡμέρα γίνεσθαι, παρεκάλεσεν ὁ Παῦλος ἀπαντας μεταλαβῆν τροφῆς. Et iussit sane ibi Cl. Kypke vertere priusquam, antequam. Sed fecellit vi-  
rum



*diu lex fuit*, defendam. Et inesse quidem voculae ἄρχει eam vim, ut non solum terminum definiat, ad quem aliqua res pertineat, quae est sane significatio caeteris vulgatio, sed etiam ipsam durationem & quasi continuationem temporis, id praeter tritum illud *Gracorum*: ἄρχει μὲν ἐν παισὶν ἦν, dum (quamdiu) in pueris esset, & HESYCHII & VARINI PHAVORINI auctoritatem, qui ἄρχει explicant δι' ὅλε, complura ex ipsis noui foederis libris exempla demonstrant, cuiusmodi, ut *Luc. IV, XII, & Act. XIII, XI* non commemorem, luculenta in primis documenta extant *Act. XX, VI* ἡλθομεν πρὸς αὐτὲς εἰς τὴν Τρωάδα ἄρχεις ἡμερῶν πέντε, & *Hebr. III, XIII* ἄρχεις ἔ τὸ σήμερον καλεῖται. *Potest* igitur per se sane ita intelligi, iam si porro ea, quae commodum dixi, recte se videantur habere; vulgatio autem & maxime proprius significatus, ut terminum rei designet, quem cum attigit, cessat, plane hic locum habere non potest; neque excogitari tamen quarta aliqua explicatio; relinquatur, ut opinor, non posse solum, verum etiam *debere* eam, quam proposui explicationem admitti. Quam apte caeterum cum reliqua Apostoli conelusione illi conueniat, de eo cum iudicium facile ex ipsa paraphrasi fieri possit, nihil opus est addere.

2. His praemissis, iam vocem νόμος amplissima significatione intelligendam iudico, ut, quamuis non exclusa *Mosaica* lege, quin, si quis ita malit, praecipue intelligenda, tamen multo latius pateat scriptoris consilium, & ad omnia non solum viuendi praecepta, patribus ante orbis inuentionem viuentibus tradita, & ab his latius disseminata, verum etiam ad ipsam naturalem legem, hominum inscriptam animis, extendatur; quae,  
(quo

rum doctissimum opinio. Nam cum hic & potest recte, & per reliqua coniuncta debet conuerti *dum illucisceret*: tum in loco *Appiani*, in quo praefidium huic sententiae inuenisse sibi visus est, & vbi ἄρχει ἂν ἡ σελήνη παρελλείξῃ τὸν σκόρπιον reddi iubet: *ante quam luna transiret scorpium*, si paululum cogitare voluisset, facile vidisset, non *antequam*, sed *tantisper*, *dum* reddi debuisset; praesertim si *Plutarchi* vitam *Craisi*, quam hic dapsilliter compilauit *Appianus*, contulisset, vbi eadem oratio occurrit, nisi quod pro ἀνεβήνοι κελευόντων, ἄρχει ἂν &c. quod est in vulgatis *Appiani*, apud *Plutarchum* legitur ἀνεμένειν κελευόντων; quod est sine controuersia verius, ut ex rei ibi narratae ordine apparet, istam autem interpretationem *antequam* plane respuit.



(quo minus aliquis nobis id, quod statim sequitur, ἀμαρτία μὴ ἐλλογέται μὴ ὄντος νόμου, obiiciat) si modo Paulo ipsi credimus, satis perspicue exposita est hominibus, vt nulla superfit ignorantiae excusatio, Rom. I, XIX-XXII imputarique adeo ipsis eodem plane iure violata poterat, quo explicitissima quaeque.

3. Consentaneum his fuerit, vt sequentia verba, quae ipsam enuntiationem continent, ἀμαρτία ἢ ἐν κόσμῳ peccatum exstitit, non minus lato sensu, de omni quidem peccatorum genere, intelligamus, neque tamen de insita naturae vitiositate aliter, nisi quoad illa singulis maleficiis necessario subiacet, veroque nomine & ipsa ἀνομία est. Ex Pauli quidem mente & consilio eam ob causam hic intelligi proxime non poterit, quod is postea nominat aliquos μὴ ἀμαρτήσαντας, quod de hoc vitii genere obtinere in nemine homine potuit. Ex quo consequitur, vt de ipsis criminum exemplis actibusque legi contrariis valere hanc ἀμαρτίας commemorationem statuamus, cuius singulari numero mentionem fecisse scriptorem s. credibile est, quod vno omnes genere ἀνομίας contineantur. Quale nec in caeteris nominibus, quae ad virtutem aut vitium pertinent, inusitatum est. Denique voces ἐν κόσμῳ, si quis velit inter homines explicare, equidem non intercedam, tametsi rei explicationem potius, iustam illam & veram, quam vocabuli necessariam vim esse putem.

4. Sequitur illa propositio ἀμαρτία δὲ ἐν ἐλλογέται μὴ ὄντος νόμου, in qua non est quod Curcellaeanam lectionem ἐλλογέτο moremur, quam vercor ne laeva mens auctori suggererit, ingenium etiam finitrius, qui non meminerat, ἐνελογέτο hoc dici debuisse, quod Valesiani etiam codices (qua fide, satis constat, habent. \*) Hoc igitur satis apparet; non facti testimonium, sed axioma iuris proponere s. scriptorem. Quale hoc ipsum sit, variant

\*) Non est igitur ferme dubium, ex Vulgata hoc hausum esse, quae tamen hac parte cum Syro conspirat, incertum, vtro alteri praecunte; immo omnino an praecunte alterutro alteri. Nec licet aliquid suspicari, vnde in eam interpretationem ducti sint, nisi quod ita illi graecum exemplum suum legervnt. Antiqua fides, nec tamen, interna quidem certe similitudine veri, satis sese commendans. Non enim, si coeptam antiqui hominum status commemorationem persequi voluisset Apostolus, non suum quoddam iudicium subiecere, scripturus videtur fuisse ἀμαρτία δὲ ἐν ἐνελογέτο, sed omissa voce ἀμαρτία, utpote quae in eadem sententia viz momento ante posita suis



riant interpretes. Plerique, hi etiam, qui caeteris acutiores sunt, ita intellectum volunt: *nullum peccatum certo poenae genere vindicatur, nisi explicita lex adfuerit, quae illud supplicium sancitum clare memoret.\**) In quo illi bifariam mihi aberrare videntur. Primum in verborum constituenda potestate. Latius enim patet vis verbi ἐλλογῆν, quam ut ad sumendam poenam possit restringi; cum sit proprie *in rationes debiti referre*, adeoque in hac morum doctrina, *tanquam recte vel secus factum imputare*, quod fieri sane a iudice potest, cum de irrogando poenae certo quodam genere nihil dum constituit. Deinde ipsa sententia laborat. Quid enim? poenisne ut coerceri maleficia non possint, nisi palam & publice sancitis? Nullusne arbitrio iudicis relinquatur, in dispensanda iustitia, locus? Denique naturalium legum violatio soluta poenis erit, quia illae nullas nominatim minantur? Prudentiae, atque adeo bonitati iudicis haec forte nonnunquam debetur πρέσβεια, quo facilius suos a male faciendo deterreat; ad obligationem quidem, illataeque deinde poenae iustitiam, non pertinent. Hanc non esse de nihilo disputationem, vel IO. COCCIVS exemplo suo probet. Is enim in Comment. in h. l. nullis ambagibus vsus, *quandoquidem*, inquit, *lex successit, & verbum de reconciliatione non fuit auditum; postmodum autem auditum est: mors omnium hominum signum est, peccatum, h. e. reatum peccati, etiam tum fuisse, licet non imputaretur, h. e. licet Deus nihil imponeret fidelibus faciendum, tanquam ad satisfaciendum pro peccato & id expiandum, & caeteros simpliciter in silentio toleraret, & iis bene faceret.*  
Quam

set, simpliciter perreclusus: Ἐκ ἐνελογῆτο δὲ. Caeterum illam lectionem ἐλλογῆτο Erasmus iam, importunius sibi a quodam, quem *Stranicam* fuisse, monente Wetstonio nouimus, obiectam, queritur in Annotat. in h. l. Ed. Basf. 1522.

\* ) Ita palam Io. Lockius in *Paraphrase and Notes on the Epistle of S. Paul.* Operum ipsius Vol. III. p. 283. (y): -- *because no Man can incur a Penalty without the sanction of a positive law, declaring and establishing that Penalty &c.* quod is suae gentis more forte verum probauerit; vniuersim ex natura legis nunquam effecerit. Caeterum ut appareat, quorsum haec interpretatio inuenta sit, in quam nemo nisi magna inuitante utilitate incursum fuisse videtur: ita hic pergit rationes subducere, *ut, cum, nisi in Adami factum, tale supplicium sancitum non fueris, Adami igitur factum fuisse eius sobolem, concludat.* Praeclara, & magna specie conclusio, si de propositionibus omnia iuta essent.



Quam ego distinctionem inter *reatum peccati & imputationem* mirabiliter, fateor, argutam esse. Mirum, doctum caetera hominem huic nebulae, in qua velut e longinquo confusas quasdam species videbat, distincte nuntiari potest, vt puto, exponendas, tantum indulgisse, vt eius fide systema prope nouum conderet. Quamquam multa ibi ille miscet, vt, quomodo omnem *Pauli* demonstrationem informari voluerit, difficilis coniectura sit.

Quae *LVTHERO* & paucis aliis placuit horum verborum interpretatio: *non curatur peccatum*; ea non potest, siue verborum vim spectemus, siue vniuersam *Pauli* ratiocinationem, consistere. Proinde huic immorari opus non est.

Equidem primam & propriam verborum singulorum vim retinendam esse iudico, vt haec sit eorum sententia: *nihil cuiquam peccati loco imputari potest, (nihil pro peccato haberi), nisi lex accesserit.* Quod est cum perse verissimum, tum hic a *Paulo* apte subiicitur praegressae sententiae, cum ad declarandam causam, cur in ea legis expressam mentionem fecerit; tum ad grauius etiam accusandum hominum puerilitatem, quae, dum locus & occasio peccandi fuerit, nunquam a peccando cessarit. Fuerit igitur vel *παρενθετική* habenda; & vocula *ἢ* non tam aduerfandi, quam declarandi potestate (*scilicet*) accipienda, vt *1 Cor. II, VI: σοφίαν λαλῶμεν ἐν τοῖς τελείοις σοφίαν ΔΕ ἢ τῶ αἰῶνος τέτῃ.* Verum hoc tam vulgatum est non *Graecis* solum, verum etiam *Latinis (autem)*, ipsisque *Germanis*, vt putidum sit, id velle exemplis demonstrare.

5. Sequitur: *ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσῆος καὶ ἐπὶ τὰς μὴ ἀμαρτήσαντας.* In quo ex ea quidem ratione, quam ego intulit, vocula *ἀλλὰ* natiuam vim & usum retinet. Connecitur enim proxime cum prima superioris commatis propositione, *ἀχρι γὰρ νόμου ΑΜΑΡΤΙΑ (μὲν) ἦν ἐν κόσμῳ - ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος - καὶ ἐπὶ τὰς ΜΗ ΑΜΑΡΤΗΞΑΝΤΑΣ*: Vbi oppositio notionum manifesta, & vera vis τῆ ἀλλὰ. Qui cum *LOCKIO* faciunt; an utique possint vim, quam huic voci subiiciunt, cum *Graecismo* conciliare, nescio. Hoc fati scio: cum ita concludere *Paulum* iubent: "Peccati poenae non exiguntur, nisi expressae lege. Atqui vltimum supplicium, iam ante *Mosem*, de omnibus mortalibus sumtum est, his etiam, qui non eodem cum *Adamo* criminis genere se obligarunt; solum autem peccatum ab *Adamo* admissum, (ante legem *Mosaicam*) morte sancitum; ergo ob *Adami* crimen capitale supplicium subeunt; ergo hoc illis imputatur; in hac, inquam, pre-



propositionum combinatione, vt de mirabili illa *κρύψει ενδυμημοτικῆ* nihil dicam, quam, mirum, si f. scriptor *Iudaeis* lectoribus ita facile expleri & digeri potuisse credidit, quam LOCKIO alicui post nonnihil meditationis tamen, vt opinor, in promptu fuit; ex communi certe linguae *Graecae* lege non per *ἀλλά*, sed *καίτοιγε* ille regressus in argumentando debuisset declarari. Fefellit eos, opinor, quod *Latini* aliquando suum *sed*, forte etiam quod *Germani* suum *nun aber* ita fere vsurpant, quae res sane ad probandam *graecismi* naturam exiguam vim habuerit.

6. De verbis *ἐβασιλευσεν ὁ θάνατος*, quae late grassantem, nullo impediante, mortem eleganti imagine referuat, nihil est admodum quod moueam, nisi quod ipsi illi interpretes, qui *comm. XII* vocabulo *θανάτου* omne miseriarum genus, animi quoque corruptionem & aeterna supplicia, intelligi volunt, hic tamen ad vnum debitum naturae reddendum illud restringant. Quod vt hic a veritate compulsi fecerunt; ita non animaduertunt, hac varietate admissa, ita luxatam existere *Pauli* ratiocinationem, vt iam nec prima vltimis, nec media primis respondeant; aut, si licet ex Logicorum schola hoc verbi sumere, quatuor terminos inesse argumento *Paulino*. Ita enim hic concludit:

Qui *moritur*, propter peccatum moritur (*comm. XII*)

Omnes autem homines cum *morianantur* (*comm. XIV*)

Necessè est, vt propter peccatum moriantur.

Ergo aut propter suum aut alienum.

Non autem propter suum (*comm. XIV.*)

Ergo propter alienum (*Adami*)

7. Quae subiunguntur: *ἀπὸ Ἀδάμ μέχρι Μωσέως*, in his mihi recedere, perinde vt initio *comm. XIII*, a vulgatiore interpretatione, aequum iudicauì, eaque conuètere, non: *ab Adamo vsque ad Moysen*, sed *inde ab Adamo per omnia & ipsius Mosaiici cultus saecula*. Quod quibus rationibus inductus fecerim, nunc ostendendum est. Ac primum posse voculam *μέχρι* per se eam vim sustinere, qua duratio etiam, non finis ac terminus vniue rei gestae indicatur; ex his, opinor, exemplis clarissimum est. **PHALARIS** (si is est auctor) in *Epist. ad Demotelem*, p. 53 fin. ed. *Ingolst.* a. 1508 **CXIV** τῆ τυραννῆσαι, ait, (συμφερότερον ὄρω) τὸ μέναι μέχρι ζωῆς (per omnem vitam) ἰδιώτην. *Plato* in *Epinomide*, vt a *Clemente Alex.* *scr.* lib. 5. p. 234, ed. *Commelin.* excitatur, ἔφημι δυνατὸν εἶναι πῶσθιν ἀνθρώποις μακροχρόνιοι γενέσθαι μέχρι πᾶσιν ζῶμαι (dum vita superat),

τῆτο



τῆτο διορίζομαι (ζῶμεν-διορίζομεν legi debere apparet). Apud eundem *Clementem* *σφοματ.* lib. II. p. 176. *Valentinus* aliquis: ἡ καεδια, μέχρι μὴ προνοίας τύγγα-  
 νει, ἀνάθετος ἔσται (quamdiu non accedit providentiae cura). His adde, quam  
*Phavorinus* excitat formulam; μέχρις ἢ ἀπειρος τῶν τῶ βίς κανῶν. - *Mosis*  
 autem nomen pro constituta ab eo doctrina & religione *Israelitarum* vsu-  
 pari, etsi vniuersum ex vsu tatis μετρονυμῶν legibus, modo locus & occasio ferat,  
 sumi possit: ex ingenti autem eius apud *Iudaeos* auctoritate haec loquendi  
 ratio etiam verifimilior fiat: tamen singularia eius exempla, quae id con-  
 firmant, afferri possunt ex ipsis N. T. libris, quo praeter *Luc. XVI, XXXI* & *2 Cor. III, XV* inprimis pertinent *Aet. XV, XXI* Μωσῆς κατὰ νό-  
 λον τὰς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει, & *1 Cor. X, II* πάντες εἰς τὸν Μωσῆν  
 ἐβαπτίσαντο, quae, quamuis aliorum alia interpretamenta non nesciam, non  
 facile aliam admittunt sententiam nisi hanc: ad religionem per *Mosē* tra-  
 ditam velut initiati sunt.

8. Possē per verborum naturam ac potestatem locum habere eam quam  
 sumsi sententiam, sic satis, vt puto, demonstratum est. Videamus, an per  
 rei ac orationis *Paulinae* naturam etiam possit, immo vero debeat. Iam de  
 summa rei poteram recte ad ea quae ad initium comm. XIII dixi, pronoca-  
 re: nam si ea videntur sat probabilia: proximum est, vt hic μέχρις idem valeat,  
 atque ibi ἄχρις; quod nulla apparet non solum variandi ratio; verum  
 etiam variari sine detrimento sententiae non potest, quoniam haec se mani-  
 festo ad superiora illa referunt, & conclusionem scriptoris continuant, qui,  
 etsi per omne illud temporis spatium peccatum inter homines versatum sit  
 (si de toto genere quaeratur) tamen si ad singulos ratio descendat, multos  
 per idem intervallum morti obnoxios fuisse, concludit, qui ipsi peccatis se  
 non obstrinxerint. Id vnum forte obuerti a secus sententibus possit; *Paulum*,  
 si id voluisset dicere, quibusuis potius, quam his verbis vsurum fuisse,  
 scriptorumque potius v. c. ἀπὸ Ἀδάμ μέχρις ἡμῶν, aut εἰς τὴν ἡμέραν  
 ταύτην, aut μέχρις τῆς παρουσίας τῆς κυρίας, aut si quid huic simile. Quod  
 ego vehementer nego fieri per institutum scriptoris potuisse. Neque enim  
 solum intervallum temporis voluit aliquod designare, & quasi metiri, sed  
 ipsas temporum rationes, & variam quasi *οἰκονομίαν*, vna lectorum animis  
 subiicere. Quo facto dum, mortem, ait, tam primo temporis intervallo,  
 quod ab *Adamo* deducitur, nullo prope religionum solemnium aut legum  
 celebritate insigni, quam altero illo, *Mosaicarum* religionum legumque ap-  
 paratu memorabili, atquo iure ac nullo discrimine esse grassatam; eadem  
 opera



opera velut per transfennam demonstrabat, non posse igitur in sequentium temporum rationibus, post *Adamum*, causam huius mali quaeri, quae, in magna licet varietate cum aliarum rerum, tum in primis legum, legisque sanctionum (quae videbatur utique supplicii etiam varietatem debuisset inferre), tamen hac vna in re conspirarint, ut idem esset omnibus utrobique mortis supplicium subeundum. Necesse igitur erat, ut utrumque illud interuallum signis quibusdam propriis notaret, quo utriusque distincta cogitatio subiici lectorum animis posset. Quod quam apte, eo quo factum est modo, obtineri a s. scriptore potuerit, experienti ac tentanti quamlibet aliam orationem, qua eadem notiones, sententia non nimis iacente aut disfluente, exprimantur, non difficile erit animaduertere. Non solum igitur minime incommode his verbis ea, quam dixi, sententia expressa est, sed ne aliis quidem exprimi recte potuit.

8. Sequitur eorum designatio, in quos hoc mortis arbitrium in primis pro scopo s. scriptoris memorabile fuerat: καὶ ἐπὶ τὰς μὴ ἀμαρτήσαντας, quam orationis *Paulinae* partem quod a sequentibus disiunxi, contra ac plerisque placet, eius rei has fere causas habui. Primum vniuersa illa ratiocinatio, qua ista sententiarum coniunctio nititur, & quam ad Sect. II, n. 6 exposui, ut sit per se bellissima, tamen nimis mihi, non dicam, arguta, sed recondita certe & abstrusa, (praecipua scilicet sui parte quasi uoluptata) videtur, quam ut ita eam a *Paulo* informatam fuisse credibile sit; pugnatque praeterea, uti II, 1 a me declaratum est, cum verborum potestate in initio *comm. XIII* obuiorum. Tum, quod est aliquanto praesentius, si vno conceptu iungantur μὴ ἀμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιωματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ, nulla vel tolerabilis reddi ratio potest, quoniam tandem seu casu, seu consilio, hic subiungantur subito ea: ὅς ἐστι τύπος τῷ μέλλοντος. Nihil enim relinquetur inter praecedentia, quae aliquam *Adami* aptitudinem, ad hanc tantam personam sustinendam, vel per nebulam ostendant; quod longe aliter se habet in nostra ratione, ut paullo post videbimus; necesse autem cum maxime erat, nisi luxatam prorsus orationem, & disiecti membra argumenti relinquere iuuaret. Quam necessitatem ipsi huius sententiae inuentores satis ea re declararunt, quod longum, & prope dixerim sesquipedale carmen reliquae orationi inferere ipsis visum est, ut id quod cuperent, appareret. "Atqui (ita παραφράζει *Lockius*) nouimus -- inde a mundi primordiis homines eidem mortalitatis legi obnoxios fuisse, quae auctorem generis, *Adamum* afflixit, licet praeter illum nemo vetitae ar-



„boris fructum gustasset. *Quamobrem, cum hic id crimen admiserit, in quod unum crimen capitibus poena sancita fuerat expressa legislatoris sententia, denuntiata AD AMO; ita hic Christum olim destinatum humano generi adumbravit \*).*” Hoc est, opinor, materiam, ac ne hanc quidem omnem, ab auctore sumere, atque inde suo sibi ingenio extruere orationem, non explicare inuentam. Nam vt non negem, in *Paulo* multa saepe esse sarcinenda, vt perfecta existat oratio; tamen in argumento huiusmodi, nexis atque continuatis ex sese sententiis constante, eam propositionem omitti, quae primum rem maxime contineat, tum vero ad quam continuo subiecta alia ita se referat, vt haec intelligi sine illa minime possit, id vero non multo mihi lenius videtur, quam si quis in comparatione aliqua, pressa protasi, solam apodofin ponat.

9. Haec mihi quidem cogitatio sat grauem habere causam visa est, cur diuissim illam sententiam legerem. Igitur cum primo dicitur, mortem saeuuisse etiam in *hor*, qui nihil commiserint; neminem, puto, si modo verborum veram aestimare potestatem velit, hoc vere & proprie dici potuisse, negaturum; daturumque esse haud inuitum, omnes infantes, (ad quos ego spectasse vel in primis, vel vnice potius, Apostolum crediderim), in ipsis aetatis quasi germinibus absumtos, hoc innocentiae genere frui. Nam etsi his quoque insita naturae labes, & ἀνομία, quae est quaedam contra-ria diuinis consiliis animi propensionumque constitutio, manca, vitiosa, iniuriam etiam Deo O. M. adhaerescat: tamen interest nonnihil inter ἔχειν ἀμαρτιῶν & ποιεῖν ἁμαρτίαν. Quae distinctio a *Ioanne* stabilita, si vquam alias, hic praecipue valere debet. Non peccant infantes, quia legem nec norunt, nec nosse, ipso conscio ac probante Deo, possunt; tamen si peccato s. vitio infecti atque inquinati sint. Quare ne hoc quidem necesse esse arbitror, quod aliquibus interpretibus, eandem sententiam defendentibus, placuit, vt haec non omnino, sed cum ratione quadam & temperamento

\* ) Nevertheless Men from the beginning of the World died as well, as their Father *Adam*, though none of them, but he alone, had eaten of the forbidden Fruit, And thereby, as he had committed that sin, to which sin alone that Punishment of death was annexed by the positive sanction of God, denounced to *Adam*, who (quam vocem quod sensum ea turbat, vitio positam esse puto, pro *be*) was the Figure and type of *Christ*, who was to come. Opp. Vol. III. p. 282.



mento accipiantur: qui non tam grauiter peccarunt, quam Adamus, cui praesentissimo numine lex lata erat.

IO. Amota hoc modo fallā, de causā communis hominum fati, opinionione, quae in suum cuiusque factum cadere poterat, subiungitur verioris causae declaratio: ἐπὶ τῷ ὁμοιωματι τῆς παραβείσεως Ἀδάμ. Ego vero fateor, me non nihil hic addubitasse, nec nimis aliquando alienum fuisse ab ea sententia, quam modo infirmare conatus sum; propterea quod ἐπὶ datiuo iunctum, ad mouentem quidem causam, quatenus a futuris ea rebus ducitur, vel animi quoddam propositum, consiliumque, quo aliquid suscipiatur, declarandum satis frequenter noueram adhiberi Graecis scriptoribus, velut: ἐπὶ ἀγαθῷ, ἐπὶ θανάτῳ δεδεμένος, ἐπὶ δηλίσει ἐπιόντες rel. de praegressis causis pariter usurpari, non memineram. Sed cum incidere in 1 Cor. VIII, xi: ἀπολεῖται ὁ ἀδελφῶν ἀδελφός ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει, coll. ἐφ' ᾧ in hoc ipso quem explicamus loco, com. XII, & Act. III, xvi ἐπὶ τῇ πίστει τῷ ὀνόματος αὐτῶ τῶν ἐξερῶτε τὸ ὄνομα αὐτῶ: non poteram de hac uoculae potestate in N. T. libris usurpata dubitare. Quare cum caetera momenta, quae commodum a me sunt exposita, accessissent, uideremque insuper, articulum τῷ uocὶ ὁμοιωματι, ex communi quidem certe Graecismi lege & ingenio, iungi non potuisse, si ad superiora trahi haec uoluisset auctor: hoc, quod proposui, tenendum iudicauī, conuertendumque: propter societatem criminis Adamī. Quod si paullo distinctius explicandum sit: ita cenleo; ἐπὶ τῷ ὁμοιωματι τῷ Ἀδάμ, tanquam praecipuas huius incisi notionēs, coniungendas esse, quae similem Adamī ac posterorum illius causam demonstrant; tum qualis ea causa sit, declarari adiecta uoce τῆς παραβείσεως, delicti nimirum & uiolatae legis diuinæ. Caeterum uulgatum est apud Graecos, ἴσως καὶ ὁμοίως dici, qui pari iure sunt, aut in simili causa uersantur.

Postrema uerba ὅς ἐστι τύπος τῷ μέλλοντος non sunt fere in disputationem adducta. Est tamen unus & alter, qui τῷ μέλλοντος malit in tertio genere accipi, quasi in Adamo posteritatis suae fata adumbrata dicat sacer scriptor. Quod uti ex uerborum uic ac significato, ipsiusque adeo rei ueritate satis probabiliter dicitur, cum superioribus etiam non inepte conspirat: ita cum sequenti continuo oratione nullo modo potest consistere, quae, ut manifestam habet Adamī & Christi comparationem, ita, ut nihilo obscurius apparet, vel corrigere aliquid sinistre acceptum ex hac ipsa euentuatione debuit, vel, quod deinde conabor efficere, inceptam demon-



strationem accuratius persequi; clarissimo documento, eodem vtrumque debere referri. Nominatur igitur haud dubie *Adamus* τύπος τῆ μέλλοντος, sc. σωτήρος, quem ea ipsa de causa retulit, quod, vt erat ipse constitutus humano generi sponsor & vicarius, cuius recte vel secus facta ad eorum existimationem iure diuino redundarent, ita *Christus* eandem olim vicarii personam sustinere ad humanum genus debebat. Iam haec sententia quam pulchre cum tradita paullo ante praecedentis enuntiationis explicacione congruat, eamque adeo requirat, & *Paulum* ita rationes putasse, vero quam simillimum reddat, haud alio clarius argumento elucebit, quam quod idem c. VI, v, cum de redundante ex *Christi* merito ad homines vtilitate loquitur eadem plane voce ac formula vtitur: τῶ ὁμοιωμάτι τῆ θανάτου αὐτοῦ (societate mortis eius) morali certe, tametsi physica, quae simili factō aut imitatione continetur, non excludatur; perinde, vt neque in ista *Adami* societate alterum genus sine altero est. Videtur hic, cum ὁμοίωμα τῆς παραβάσεως Ἀδάμ nominat, ac tum continuo subiungit, fuisse *Adamum* typum *christi*, de alia re vlla, quam de ista communiōe fortunae ac meriti, cogitasse?

## Comm. XV. XVI.

III. Neque vero pro ratione delicti solum clementiae ac beneficii diuini ratio aestimari debet: non, vt crimen illud, quo a Deo immortali defectum est, solum *Adamum* auctorem habuit; ita hic vnus diuini fauoris auram expertus est. Etenim si vnus tristi casu omnis hominum multitudo misere periit, mortalitatisque durae legi subiecta est; si, quamuis vnus, temerarie factum perniciem comparauit omnibus: credimusne breuiori se limite continuisse Dei O. M. in seruando iuuandoque bonitatem, quam illius in periendo coxa? Credimusne, si nocentissimum *Adami* caput, qui non solum ipse in se sua voluntate tantam mali vim concitauerat, verum etiam in miseram progeniem deriuarat, tamen seruari potuit, hunc vnum ex excitato a semet incendio ereptum, caeteros, miserabilem turbam, calamitate non sua absuendos relinqui? Credimusne potius, malam vnus fidem redundare ad vniuersae multitudinis damnum passa est prouidentia numinis, quod est a natura beneficentissima prope alienum, eandem non multo etiam magis redditae salutis fructum ex vno ad omnes pertinere iussisse?

Comm.



*Comm. XVI.* Ita enim vero tenere debemus. Non pro ratione vnius, cuius tristi casu id mali in orbem inuectum est, exhibita est beneficii diuini copia: non ita hoc comparatum est, (quod suspicetur forte nonnemo, qui cum casu & ruina restitutionem non satis scieuter contendat) quasi aut vni praeuaricatori pax & gratia reddi debuisset, aut vna etiam illa noxa, quam admiserat hominum pater, expiari. Ita est sane: seuera iudicis sententia ab VNIVS temeritate & culpa ad iudicium capitis perlata est; verum benignitatis ac misericordiae diuinae ea copia fuit, eae diuitiae, vt non ab hoc solum, sed ab infinitis delictis veniam absolutis faciendam exsuperaret. Atque in eo maxime exultat ac regnat salutare misericordiae munus, quod non labentem solum restituit, sed omnem vna, quam is fecit circa casu suo, ruinam, plenissime resarciuit.

Hanc ego *περιοχὴν*, si licet ex meo sensu iudicium facere, reliquarum partium huius demonstrationis omnium, facile difficillimam dixerim, ita leui ducta penicillo & tenui discrimine adumbrata illa quasi ora atque extremitas, qua se contingunt singulae sententiae, cum maxime cogitas, effugiunt, aut miscentur inuicem. Planius dicam, varii respectus, quibus in combinandis his sententiis inuicem locus est, ob vocularum praesertim coniunctioni inseruientium raritatem aut vsum obscuriorem, difficilem optionem habent, distinctam autem eius quod optaris, euolutionem demonstrationemque etiam difficiliorem. Tamen experiemur, quousque liceat eam sententiae formam, quam in hac paraphrasi expressimus, rationibus efficere.

1. Prima Iulius incisi enunciatio: *ἀλλ' ἔχ' ὡς τὸ παράπτωμα, ἔτω καὶ τὸ χάρισμα*, poterat primum quasi correctio videri commodum dictae sententiae, vt quamuis magna intercedat *Adamum* inter ac Christum similitudo, tamen haec non ita omnibus perfecta numeris sit habenda, vt nullum discrimen superstit, idque discrimen deinde in vberiori diuinae bonitatis abundantia, qua omne illatum damnum longe superarit, ponatur. Quam ego sententiam etsi putem esse eiusmodi, vt cum pio s. scriptoris sensu apprime potuerit conspirare, stolidumque etiam existinem, eiusmodi sententias, ex quadam commoti, cum de magno beneficio gratus cogitat, animi abundantia erumpentes, ad metaphysicorum subtilitatem refecare: tamen quod hic nondum existant eius commotionis vestigia, paullo post forte rectius inuenienda; tum presse nimis ac considerate, & ipso verborum positi  
subtili.



subtiliter, haec instituitur oratio, quam vt *χουδαῖον* eiusmodi animi admirationis pleni iudicium hic proponere voluisse 1. Apostolum, credibile sit: vix ausim in has partes concedere. Tam accurate concepta formula accuratam, vt videtur, explicationem postulat. Verum enim vero ea ipsa cum non sit adeo in promptu; aliqui id dubitationi remedium inuenerunt, vt conuersa in interrogationem formula, iam id affirmari videatur, quod negabatur antea. Quod si ii solum facerent, qui praecedens *μέλλοντος* ad futuram posterorum *Adami* fortunam referunt, facilius videretur ferendum. Sed qui, cum illic Christum videant, tamen hic rhetoricantur: illi, non reperio, quomodo tandem *ἀλλὰ* istud in fronte positum defensuri sint; pro quo hac quidem conditione *ἔχ' ἄρα*, aut certe *δὲ* ponendum fuisse. Deia sicca illa & paene acuta notionum distributio comprobatioque, quae cogitate praesfruit fundamenta sequenti sententiae, non est eiusmodi, vt *ἔρωτήματι* in ea locus sit. Tiro haec forte misceat, calidus adhuc a rhetorum praeceptis, & locum cupide dispiciens figuris, non ex naturae & animi motibus eas iudens. *Paulum*, quo nescio an alius *ταῖς τῷ ἡθῆς* ac *πάθῆς* propius a natura vtatur, hic voluisse *τερετίξεναι*, mihi non fit veri simile.

2. Equidem, quinam hic potissimum nodus obiectus fuerit interpretibus, cogitans, vnam omnibus causam reperio, quod, cum *ἑλληπτική* sit tota oratio, isti animo sibi (nam verbis eam resartam a *νέμινε* video) sinxerunt *omnia τὰ ἀποβάντα* cum *τῷ παραπτώματος* tum *τῷ χαρίσματος*, quae hic contendendi inuicem, sumserunt: vt integra forte existeret oratio: *ἔχ' ὡς ἐνήργησε τὸ παράπτωμα, ἔτω καὶ τὸ χάρισμα*. Itaque non erat mirum, difficiles hinc nasci exitus; quoniam, cum vix haec scripsisset Apostolus, ipsissimis verbis contrarium videbatur dicere, vtique parem vtriusque rei effectum fuisse. Quare confugere illos, vt aliquam tamen diuersitatem reperirent, ad *μᾶλλον* illud, necesse erat; quod tamen alio, vt deinde videbimus, pertinet; aut nouam prorsus orationis habitum effingere.

3. Equidem circumspectis omnibus ita explendam esse censeo istam lacunam: *ἔχ' ὡς τὸ παράπτωμα ὑφ' ἐνὸς τῷ Ἀδὰμ ἀπετελέθη* (aut si quod aliud sit commodius verbum: cui omnino difficulter iungitur *παραπτώμα*) *ἔτω καὶ τὸ χάρισμα πρὸς αὐτὸν μόνον συντελεῖ*. Qua in ratione non video, quid possit quemquam offendere, nisi hoc forte, quod ipsa verborum multitudine suspectum fiat supplementum. Malint enim, opinor, *ἔστι* & *ἦν*, quod est sane perbreue, sed plerumque, ni fallor, in simili necessitate

itate



sitate non adhibetur, nisi ut aliquid tamen ad explendam ἔλλειψιν  
 afferrī videatur, ob hoc ipsum autem, quod est earum vocum amplissi-  
 ma significatio, nihil faciunt ad orationem declarandam. Hi igitur vel e  
 propinquo comm. XVIII hui. cap. inspiciant, ubi aut vehementer fallor,  
 aut longe etiam plura desiderant relictī hiatus, tum cap. XII huius Ep. v.  
 VII-VIII. εἴτε διακονίον, ἐν τῇ διακονίᾳ caet. & c. XIII, v. VII τῶ τὸν Φό-  
 ρον, τὸν Φόρον, rel. quae pauca exempla abunde probent, Paulum sibi in hoc  
 genere τῆ ἔλλειπτικῆ mirifice indulgisse. Igitur dum ea ratio, quam ten-  
 tamus, & ad reliqua verba sat commoda sit, & ad digerendam totius ora-  
 tionis, sequentis maxime, sententiam in primis apta, nec alia melior facie  
 inueniri queat: quid requiri ultra possit, non video. Ac de sententiae  
 quidem continuatione (nam de reliquis lectoris iudicium esto) nihil est, quod  
 hoc pacto laboret. Negato enim, ad vnum Adamum pertinuisse beneficum,  
 iam contrariam huic amplitudinem eius Paulus subinde demonstrat,  
 atque ex ipsis peccati Adamitici effectis concludit. De voce ἀλλὰ super-  
 est, fateor, nonnihil incommodi, sed quod illud tamen, quod ego subla-  
 tum arbitrator, minime exaequet. Ita autem eam accipiendam iudico  
 ἀλλ' ἔχ' positum sit pro ἔ δὲ, cuius solet persaepe id munus esse, ut plures  
 propositiones iungat, inter quas nullus ex certo genere nexus intercedit:  
 prorsus ut Latini sere suum illud neque vero usurpant. Hoc modo Paulus  
 τῶ ἀλλὰ cum aliis in locis, tum II Cor. VIII, VII & Gal. III, XIV mani-  
 festo vsus est, & ipsam compositam formulam ἀλλ' ἔ, pro ἔ δὲ z Tim. III,  
 IX adhibuit: quare neque hic iusta dubitatio supererit. Haec ratio quo mel-  
 lius sibi constet; meminisse debemus, totum hoc a comm. XIII-XVII, πα-  
 ρενθετικὸν esse, quod genus orationis eo comparatum est, ut velut adno-  
 tamenta quaedam ad summam rei accuratius finiendam declarandamque  
 pertinentia referat; quo minus dilucida continuatae ratiocinationis ac mani-  
 festa signa semper in hoc genere quaerenda sunt. Igitur cum in hac πα-  
 ρενθεσει duo maxime monere voluerit lectores auctor epistolae, quorum  
 alterum ad iustam peccati Adamitici notionem informandam eorum animis,  
 alterum ad beneficii diuini naturam declarandam pertinet, ita ut illud pro-  
 tali vniuersae conclusionis illustrandae inseruiret, hoc ad verum ἀποδόσεως  
 intellectum certitudinemque praemuniret lectores: iam defunctus priori  
 opera, comm. XIII, XIV, alteram comm. XV-XVII persequitur. Quae po-  
 stea denum dicendorum in ipsa παρενθεσει occupatio neminem ostendet,  
 non certe ad oppugnandam ipsam huius παρενθεσεως veritatem impellet,

qui



qui cap. III Ep. ad *Ephes.* cum initio cap. IV, ad quem locum iam supra prouocauimus, contulerit, vbi idem sibi permittit Apostolus.

4. His rite firmatis, iam, quod ad singulas voces attinet, nihil est quod magnopere explicatione indigeat. Vox *παράπτωμα* vt externis scriptoribus minus vsitata, ita in s. litteris satis celebris est; & ex potestate verbi *παρὰπίπτειν*, quod *praeterubi* proprie, *a meta* velut *aberrare*, atque adeo, significatione impropria, vel a consilii rectitudine deflectere, *peccare*, vel ipse ac bonis excedere, *frustrari*, est, quo modo ei cum *παράβην* Hebr. II, 1. & ipso verbo *ἀμαρτάνειν* conuenit; pro hac igitur origine *παράπτωμα* peccatum ita designat, vt ipsam eo contractam miseriam vna cogitationi subiiciat. *Χάρισμα* autem, a *χαρίζεσθαι*, beneficii diuini, quo, pristino esse iure homines, permittit, tam optabilem & salutarem conditionem, quam gratis nulloque hominum merito factam eius a Deo O. M. copiam, nobis in mentem reuocat.

5. Sequitur illa verioris sententiae declaratio, ita proposita, vt cum ipsa propositione coniungatur vno contextu eius demonstratio, ducta a comparatione deriuatae ab vno *Adamo* in omnem suam posteritatem calamitate, adhibita simul recta de diuina aequitate sententia. Qua in conclusione *γὰρ* satis commode vel ad praecedentem sententiam, prout eam modo exposuimus, referri potest, vt ea ipsa iam probetur; vel, si iuuat esse ad vnguem accuratum, ad eius contrariam, quam in eiusmodi oratione fere omittimus, & lectori suspicandam relinquimus; -- & *πρὸς μόνον τὸν Ἀδάμ, ἈΛΛΑ ΠΡΟΣ ΑἴΑΝ ΤΟ ἈΝΘΡΩΠΙΝΟΝ.*

6. In ipsa demonstratione primum singulas propositiones per se spectabimus: quo facto rectius conclusionis, qua sunt inter se commissae, vim ponderare licebit.

Prior & praemissa est: *τὰ τῷ ἐνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον.* Vbi quidem *ἐν πολλοῖς*, non est dubium, quin omnem hominum multitudinem & genus vniuersum significet; quod & res ipsa satis manifesto declarat; (aequis enim mortalium in hac ipsa nominis confessione se non agnoscat?) & a Graeci oris vsu non abhorret, qui, vt *Latini multitudinem*, sic ipsi *τὰς πολλὰς* in exercitu, ciuitate rel. ad omnes ampliant. Nam quod GROTIVS vereri videtur, ne quis tamen de *Henocho* & nonnullis forte aliis excipiat, eamque ob rem *fere omnes* intelligit, id frigidiusculum videtur. A *Paulo* autem *οἱ πολλοὶ* potius, quam *πάντες* nominati sunt; quod ita maxime conspicua esset contrariorum, qua *τὸν ἕνα*, oppositio. -- Quae  
his



his attributa sunt ἀπέθανον τῷ παραπτώματι, in his, quae sit meriendi necessitas intelligenda, ex superioribus non est obscurum. De adiunctis operae pretium est obseruare, τῷ παραπτώματι deliberato consilio ita videri positum fuisse; habetque illa verborum iunctura non exiguam vim ad accurate declarandam naturam huius mali. Nam cum διὰ τὸ δέσσει cuiuslibet causae, remotioris etiam, occasionis, irritamenti, ex quolibet denique genere, declarationem habeat: τῷ δέσει contra proximam, plenam, & in ipsa actione contentam causam arguit; fere vt *latine* dicitur *veneno* interire, vt, cum v. c. μυριάδες Τράων διεφθάρθαι διὰ τὸ δύσφημον ἐκείνο μῆλον ἀπε & vere dicuntur, iidem τῷ μῆλω διαφθάρθαι dici nisi ingenius paulo frigidiori non possint. Argutarine igitur intempestiue videbimur, si hoc maxime modo Paulum omnes mortales tanquam ipsos de infelici pomo vescentes, eoque iudicio pro se quemque damnatos, repraesentare, idque reuocare in mentem auditoribus voluisse, censeamus, quod *comm. X* dixerat πάντες ἡμαρτον? - Denique cum τῷ ἐνός addit scriptor facer (non ἐνός, quod sic satis sententiam poterat perficere); vtrumque obtinuit, vt & ad *vnus* cogitationem, in quo inerat praecipua argumenti vis, conuerteret legentium animos, & simul eos, qui & qualis ille vnus fuerit, submoneret, id quod ad illam comparationem, quae sequitur, non erat nullius momenti.

7. Quae cum hac coniungitur, sententia, ἡ χάρις τῷ θεῷ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τῷ ἐνός ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπερίσσευσεν dubitabilem habet partium, ex quibus conflata est, dispositionem. Possit enim ἡ χάρις τῷ θεῷ καὶ ἡ δωρεὰ pro subiecto, εἰς τὸς πολλὰς ἐπερίσσευσεν, pro attributo, & reliqua pro connexis attributo haberi, quae ratio I. C. WOLFIO, in *cur. Phil.* placuit, tamen illam causam, quae poterat ei magnam speciem conciliare, non addiderit. Haec autem eo continetur, vt hoc maxime modo iusta quaedam ad praecedentem sententiam ratio esset ac proportio exlitura. Vt τῷ οἱ πολλοὶ ἀπέθανον respondeant ea quae commodum adscripsimus; τῷ τῷ ἐνός παραπτώματι autem reliqua: ἐν χάριτι τῇ τῷ ἐνός ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ita effectum effecto, & causis causae opponerentur. Quod probato, nollem tamen χάριν Ἰησοῦ interpretari de gratia, quae apud Deum valet θεῶν ἀνθρώπων; quod, vtut de externis scriptoribus sit, tamen ex N. T. libris, praesertim in tam frequenti huius vocabuli vsu, nullum similis significationis exemplum asserri potest; contra eadem formula *Gal. I, VI, τῷ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ*, vbi otiosa fere, eodem significato assumpto huius rei commemoratio existet, & cognata alia *Eph. III, 7 κα-*



τὰ τὴν δαρεὴν τῆς χάριτος τῷ Θεῷ, vix vllum huic interpretationi similitudinem veri relinquunt. Sed ipsa, quam WOLFIVS aduocat *Graecorum* scriptorum auctoritas, valde laborat, aut verius nulla est. Enim vero aliquantum interest, scribasne tu τῇ χάριτι, quod ex *Polybio* afferunt, an ἐν χάριτι: & cum graecissime dicatur: τῇ τῷ Δεῖνα Φιλία ἑσάθεν αὐτὸν; inepte diceret ἐν Φιλία &c. eodem intellectu. Ut iam id non commemorem, nec per rei veritatem locum esse istī interpretationi, quae habet valde propinquam cum *Socinianae* sententiae *acceptilatione* cognationem. Id enim ex solo certe *Graecorum* valet τῇ χάριτι, quod vernacula dicimus *ei nem zu gefallen*. Hoc igitur, etiamsi caetera haec ratio placeret, tamen erat retinendum, vt ἐν χάριτι idem esset ac διὰ χάριτος, & exoptatissimum illud studium, quo de humano genere mereri bonus ac propitius voluit Seruator optinuis, significaret.

8. Sed quantumuis tota ista ratio ita comparata sit, vt improbari facilius, quam rationibus refelli possit: tamen aurium quoddam iudicium & sensum de linguae ingenio sequenti ea videtur verborum combinatio praeferenda, quo haec cuncta ad subiectum referantur. Quare hoc duabus iam partibus constabit. 1) ἡ χάρις τῷ Θεῷ omnem Dei O. M. in homines benevolentiam demonstrat, tam primam illam miserentis perditarum vniuersi generis rerum, decernentisque ipsi remedium recuperandae salutis, quam certiorē quasi istam consequentem, partem ipso Christi merito, & prolixius amori, non iam se indigno, obsequentem. 2) ἡ δαρεὴ ἐν χάριτι τῇ τῷ ἐνὸς ἀνθρώπου ἰσὰ Χριστῷ omnem beneficiorum amplitudinem completitur, quae ex isto benevolentiae diuinae fonte, benigna Christi opera, qua tam expiando illum aperuit omnibus, quam publicando & procurando in singulos deriuat, in homines redundat. Quo modo ipsum Dei fauorem cum eius causa arctius coniungit, & vno conceptu confociat facit scriptor. Neque vero, pro suo consilio, voluit hic maxime modam, quo illa salus nobis parta est, exponere, quo summo poterat non satis dilata oratione vltus videri; sed, quod hoc posset, tanquam demonstratum comm. VI-X huius cap. reliquere, hic ad amplissimum huius meriti ambitum, aut vniuersam aut potissimum respexit. Caeterum adhibitae voces δαρεὴ & χάρις utraeque eo comparatae sunt, vt tam benevolentissimus Dei in homines animus, ex quo haec bona in nos profecta sunt, quam exoptatissima eorum ad salutem & felicitatem hominum incholes, & gratuita eorum, omni defuncto merito, collatio illis exprimitur. Ipse porro auctor huius meriti bifariam describitur. Prior designatio: δι' ἐνὸς ἀνθρώπου, eo spectat, vt

ἰεροσολ  
 ἰεροσολ  
 ἰεροσολ



pares utique utrinque esse conditiones, nihil itaque impedire, quo minus iisdem finibus pateat utriusque partis meritum, appareat. Atque ita quidem, ut *ἐνός* ad quamdam velut ex concessis disputationem pertineat: (si unus *Adamus* potuit suae noxae contagione uniuersum genus perdere; quidni & Iesu, *quantumuis* unius promeritum, aequè late pateat?) tum *ἀνθρώπων* commemoratio eandem conclusionem pressius etiam constringat: si ob generis cognationem tantum licuit *Adamo* in reliquos mortales omnes, ne haec quidemabilitas sponsori nostro, melioribus auspiciis hanc personam gerenti, defuit. - - Reliqua non solum eam vim habent (quamuis haec sit prima & proxima) ut auctorem huius salutis propius designent, & nominibus, tanquam signis quibusdam, lectoribus ostendant; sed una animos ad contemplandam ipsam huius personae conditionem erigant; (quomodo solemus & alias cum grauitate quadam & vocis *βαρύτητι* nomen hominis usurpare, cum aliquod credibile eius factum aimus aut negamus) quae magnam attentionem habeat ad persuadendum id quod erat in quaestione. Hoc igitur certe, de ipso nomine optimi seruatoris *Ἰησοῦ* valeat, etiam si ad significationem eius, laetissimi auspicii plenam, minime delabamur, quae tamen, ut ut nimis procliuè sit, in hoc genere ineptire, hic quidem non iniuria possit urgeri, quod & ipsa istius nominis impositio, diuino consilio, ad conuincendos praestantissimi illius muneris homines *Matth. I, XXI* destinata fuit, & in dogmatico argumento, quod ad ipsam huius nominis vim totum spectat, verteretur oratio. De adiecto titulo *Χριστῶ* certe illa ratio hoc verius obtinet; quod, quae nunc fere diuturna consuetudine in nominis proprii usum degenerauit, honoris haud dubie & officii appellatio ex prima destinatione, & vsu quoque tum illam adhibentium fuit. Ergo, hoc ipso titulo latentem vim argumenti suo addidit scriptor s. non potuisse eum, qui diuina auctoritate ad id ipsum constitutus & auctoratus fuerit, ut res hominum perditas restitueret, proposito suo excidere, ac ne sine impietate quidem de tantae rei, tantis auctoribus susceptoribusque gestae, secundissimo exitu dubitari.

g. Huic ita declarato subiecto attribuitur *τὸ περισσεύειν*, quae vox perinde ut *Latinorum abundare* a prima significatione maioris, quam pro necessitate, copiae, mox ad quamuis copiosum, quantumuis minime superfluum, apparatus significandum deflexit. Quare hoc cum adiuncto *ἐς τὰς πολλὰς* (quod pro omni multitudine valere, vix est, propter ea quae paulo ante diximus, necesse repeti) vel ita coniungi poterit, ut utrumque per se significet, aut *περισσεύειν* intransitiue, quod aiunt, intellectum, plenam



sufficientem gratiae illius ac meriti dignitatem ac praestantiam, ac velut domesticas opes, valorem ac pretium, indieet; *ἐς τὲς πολλὰς* autem sineam, quo illo valor destinatus sit, & rationem, ad quam sit exigendus, declaret: *ἀβυσσὸς suffecerit illa gratia, ut possit omnibus ea ad salutem prospici;* eo fere modo quo *Rom. X, XII* Deus dicitur *πλετῶν ἐς πάντας τὲς ἐπικαλεσμένους αὐτὸν* vel, quo magis inclino, ita ut utraque archissime coniungantur, transiue accepto verbo *περισσεύει: ad omnes largiter redundabit diuinum beneficii copia.*

10. Ex iis, quae modo disputauimus, non iam difficile erit explicare, quae sit illa argumentatio, quam hic instituit Apostolus. Vbi quidem vix videtur necesse monere, *εἰ* non conditionem habere dubiam; sed sumere id quod erat in facto positum, ut alia inde ducatur non minus vera conclusio. Grauioris momenti est, quod eam excipit *πολλῶ μᾶλλον*. In quo explicando mirari subit, acutissimos quoque interpretes id sibi negotium dari credidisse, ut dispicerent, qua parte superius fuerit *Christi* meritum *Adami* noxa. Nempe quod *μᾶλλον ἐπερίσσευε* ita iunctum sumerent, & ad *significationem* posterioris vocis vim omnem *τῶ μᾶλλον* traherent, quae debebat ad *veritatem enuntiati* referri, in iniquum se locum deduci passi sunt nec opinantes. Qui si ante, quam illum laborem susceperent, cogitassent, in tam contrariae naturae rebus, simul ac de numero excipitur, quod hic necesse erat, nullam ne comminisci quidem quemquam posse graduum contentionem: pepercissent, opinor, irrito studio. Itaque *Wolffo* asserenti, *dona ipsa, tamquam per Christum parta, longe ampliora esse illis malis ἔς incommodis, quae ab Adamo, homine nudo, - in homines omnes diminarunt*, aegre, credo, futurum fuisse, si quis hoc paullo distinctius sibi enarrari postulasset. *Lockius*, qui collatarum rerum disparitatem ad auctores referendam esse statuit, & in eo maxime videri positam, ut, cum *Adami* suae tantum explendae libidinis cupiditate lapsus sit, reparandae contra salutis opera omnis, a *Christo* influenta, a cogitato quodam & vehementi erga humanum genus studio atque beneuolentia sit profecta, non longe, ut apparet, a *Wolffo* distat: nisi quod is tanto *nobilius* *Christi* quam *Adami* meritum videtur dicere, quanto coeco impetu prudens consilium praestantius sit. Nescio quam sana sententia. Scilicet tantum potuit sinistra inuiti huius comm. interpretatio, quam *Lokius* ita *παραφράζει*: “ut quantum *Adami* *Christum* adumbrarit, tamen beneficium *Christo* auctore, in homines collatum non accurate ad eandem mensuram, quam *Adami* ma-



„le meritum, exactum fuisse,” asserat. Qua sententia probata non poterant sane rectius existimare de sequentibus. Eaque ipsa ratio nos mouit, vt ibi aliam viam iniremus.

II. Igitur πολλῶ καλλῶν ita cum reliqua enunciatione iungendum est, vt non modum rei, prout gesta est, sed possibilitatis, veri similitudinis ac certitudinis maiorem gradum declaret. Quod est in huiusmodi conclusionibus a comparatione ductis in omnibus prope linguis ita vsu tritum, vt probandi eius laborem facile mihi putem lectores esse condonatuos. Hoc autem operae pretium fuerit cogitare, quibus gradibus ista velut progressio nitatur. Existimo ergo, ita fere Paulum ratiocinari. Primum ex ipso facto *Adami* constabat, possibilem esse huiusmodi substitutionem, qua vnus hominis meritum vniuerso humano generi posset imputari. Deinde cum vtriuque homo esset, vtriuque consensus atque adeo constitutio diuina: iam paria ad ipsum euentum ex vtraque parte momenta erant. Accedebat autem praeter haec in substitutione Christi, quod, cum haec ad certam salutem spectaret, illa vel ad interitum, si ex diuina praescientia iudicium feratur, vel ad dubiam certe hominum fortunam; inimica autem naturae diuinae sit mali & miseriae permissio, salutis amicissima: tanto iam appareat credibilis, ad omnes homines Christi, quam *Adami*, meritum pertinuisse, quanto prodesse, quam nocere, Deum magis decet. Neque illa cogitatio nihil eo valere poterat, quod *Adamus* nec satis videretur perpexisse magnitudinem mali, quod esset in omnem suam posteritatem inuecturus, neque hoc ipsum forte, quod omnino in posteritatem, quod subdole inductus, quod non didita opera, quod sibi relictus, quod vetante Deo immortalis fecisset: in Christo omnia dissimilia. Haec quis cogitet, & non, cum de *Adami* fato certus est, multo sibi facilius patiatur persuaderi, diuinam in Christo opem eodem valuisse ambitu? Hoc igitur maxime modo non modo tolerabiliter, sed praeclare ratiocinatus fuerit sacer scriptor.

12. Iam pergimus ad comm. XVI. cuius initium ita habet: καὶ ἕχ' ὡς δι' ἐνὸς ἀμαρτήσαντος τὸ δόρημα. In quo interpretando omnes, quos vidi, interpretes in eo consentiunt, vt compositam enunciationem intelligant, ex προτάσει & ἀπόδοσει constantem, quam vt alii aliter explere, vtote praecise constructam, satagant, tamen qua rei summam inter eos conuenit, vt προτάσει id sibi velle dicant: quemadmodum per vnum peccantem res hominum profligatae sunt. Itaque & ἀπόδοσιν eam instaurant: non ita & be-  
ne.



*beneficium in eos collatum est.* Difficilis oratio; multoque etiam quam *comm. XV* impeditur. Etenim primum hic ipse ille respectus, quo vno omnium maxime inter Christi & *Adami* causam conuenit ( *vt ex vno ad omnes* ) tamen pro causa discriminis venditatur. Id certe erat proximum. Neque enim alias apparet, cur τὸν ἕνα hic nominare praecipue voluisset si scriptor. Sed fuerit sane quacuis alia ratio discriminis, quam *Grotius* ita occupat: *Multo, inquit, EFFICACIVS fuit beneficium quam noxa; in quo autem ea differentia sita sit, iam explicat.* Videamus igitur eequo modo, ( nam *GROTIUS* deinde sapienter manum ablinet ) id effecerit *Apostolus*. *Iudicium enim, ait, ex vna (noxa) ad condemnationem; beneficium contra ex multis noxis ad absolutionem.* Praeclara conclusio, si ex homogeneis duceretur, si ultra verborum elegantem quandam conmutationem, quae auribus quodammodo insidias faciat, animo nullam iustam demonstrandi veri notionem insinuat, proferretur; postremo si id sibi fingere quisquam efficacius beneficium posset, quo noxae mali effectus omnes tolluntur, quam ea noxa fuit, qua vna iidem mali effectus omnes producti sunt; si eo, inquam, nomine hic aliquis discrimen efficaciae videret, quod ita VNVM ( causa ) MULTIS ( effectibus ) opponantur. Σοφὸς ἔσθαι hoc quidem esset; non ratiocinari. Hoc, aut huic simile si voluisset sacer scriptor: bona decocta bonis reparatis, mala inuecta malis sublati opponi verum fuisset; non unitatem causae multitudini effectorum.

Haec igitur cum non satis trita videretur via: eam, vt opinor, ob causam alii & hic eo confugerunt, vt interrogando sententiam efferrent, adeoque quod negari ante videbatur, iam confirmaretur. Quae ratio hic multo etiam difficilior probari potest, quam *comm. XV*. Nam vt sensum legentis minime testet, qui variat sane pro cuiusque ingenio, nec ea repetam, quae de sobrietate sibi in huiusmodi *Φιλοσοφίμασι* ad init. *comm. XV* monui, hic tamen vel ea cogitatione confirmanda, vt media in παρρησίᾳ versari *Paulum* meminerimus, in qua ita plenam ingredi orationem, qualis istiusmodi *ἑρωτήματα* aperitur, praesertim si responsiones subiungantur, aegerrime ferri potest, nec sine magna orationis perturbatione concedi: haec igitur vt non commemorarem, quoniam in huiusmodi ratione, si quis obfirmare animum velit, semper argutando locus superest; per ipsam argumenti naturam fieri nullo modo potest, vt haec enuntiatio tanquam aëns concipiatur. Cum enim in subiuncta declaratione manifesta sit comparaturum



rum rerum inuicem oppositio, eaque cum singulari elegantia multiplex & elaborata cum maxime, ita ut κριμα respondeat τῷ χαρισματι, ἐνος, τῶν πολλοῖς - & κατάνημα, τῷ δικαιοματι; tum vero haec non minus manifesto confirmandae priori sententiae comparata sint, id quod uoculae μὲν γὰρ non subordinant, sed clamant: quis sibi persuadeat similitudinem duarum rerum ex iis partibus, quibus cum maxime contrariae inuicem sunt, demonstrari? Neque vero mihi visus est adhuc, qui id distincte conatus sit explicare.

Tam insuperabilibus difficultatibus cum sit obsepta utraque ista ratio: mirumne merito videatur, neminem tamen (quod equidem sciam) de illa interpretatione cogitasse, quae vna intestinum hoc sententiarum dissidium componere poterat; plana adhaec ita, ut videantur debuisse in eam incurere lectores a Graeca facultate non plane deserti. Ea autem haec est, ut non iam compositam, sed vnam simplicem enunciationem contineri hoc carmine statuamus; ac, deleta post ἀμαρτήσαντος incisi nota, εἰς ὡς δι' ἐνὸς ἀμαρτήσαντος (γενομένου τῷ κακῷ) τὸ δῶρημα sc. συγχεχάσθηται, conuertamus: non tanquam per unum peccantem (admisso malo) beneficium exhibitum est: quam sententiam distinctius supra in paraphrasi expressimus. Neque enim latinae linguae ingenium capit hic graecae ἐνεργείας breuitatem. Hoc igitur consilium quo lectoribus probemus, tria maxime erunt efficienda; ut primum verborum veram vim videamur expressisse, deinde ut supplementum additum illis approbemus, ac demum cum reliqua oratione hoc, quidquid est, conciliemus. Ac de primo quidem suffecerit, opinor, monuisse, me eam vim vocularum εἰς ὡς (quibus haec interpretatio maxime vertitur) secutum esse, qua dicunt isti v. c. εἰς ὡς ἐν ἀδοκίῳ ἐδοξυβήθη, non, ut in re subita (sic est si paulo plenius dicas: ut, quis in re subita suspicetur forte euenisse) turbatus est: εἰς ὡς ἐν τοσούτοις κακοῖς ἀπῆλπιζον' εἰς ὡς τοσαύτης τυχῶν ἐκ παραδόξου τμηῆς ἐνυβρίζετο, c. l. a. De ἄλλεψει autem cum in ea causa a caeterorum interpretum rationibus ipso genere non disiuncta sit, & explendae sententiae ubique par sit necessitas, nil requiretur nisi si lat commode, si nil alienum a scopo auctoris & argumento, quod tractat. Est autem ne a verbis quidem: iisdem quippe & comm. XVIII necessàrio supplendis. De tota denique sententiarum conformatione ita existimo, hanc interpretationem non ferre solum reliquae orationis contextum & conclusionis aptam informationem: (qua de re cum paraphrasis

exhi-



exhibitae fidem testari liceat, tum ad ea, quae mox dicemus, prouocare) verum etiam ob ea, quae de tentatis reliquis interpretandi eius consiliis disputauimus, vnicuique requirere; cum quartam aliquam rationem, ni fallor, nec comminisci quisquam possit. \*) De superioris quidem orationis continuatione hoc non obscurum est; id enim hoc maxime modo firmat, & denique iaculat lectoribus auctor, quod & pro vniuerso huius loci instituto ipsi propositum erat de monstrare, & commate proxime superiori alia orationis forma dixerat: *ad omnes pertinere beneficium*. Cuius contrariam suspensionem hic commodè studeat remouere. Quare videamus iam, quomodo huic sententiae cum sequentibus conueniat.

Τὸ μὲν γὰρ, ita pergit s. scriptor, κρῖμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάρκημα \* τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτώματων εἰς δικαίωμα.

In quo carmine nihil vetat, quo minus vim vocularum μὲν γὰρ communissimam retineamus, quae concedendi & largiendi est; idque docere videatur Apostolus: Tametsi vnus *Adami* singulare factum triste Dei iudicium (*κρῖμα εἰς κατάρκημα*) in reliquum humanum genus vniuersum (coll. v. xv) prouocauerit; abolitumque adeo hoc mali videri poterit, si deleteretur istius primi criminis macula & reatus: tamen non se continuasse intra hos limites misericordiam diuinam ac Christi meritum, sed omnem etiam omnium hominum suo arbitrio & factis contractam culpam vna expiasset. Quo facto occurrere voluit suspicioni, quae poterat, non sine quadam specie, alicui ex superiori sermone suboriri, quasi ad vnum illud malum pertineret Christi meritum, quod imputatione peccati primigenii illos inuaderat: & vt comm. xv demonstrat, non ad *personam Adami* solam spectasse benignitatem & pacem diuinam; ita hic porro ne ad *factum* quidem eius *vnum*, eiusque serpentem reatum eam comparatam fuisse demonstrat.

His

\*) De lectionis varietate, quam hic aliqui secuti sunt, vt ἀμαρτήματος pro ἀμαρτήσαντος legerent, vt breuiter sententiam dicam; sunt sane pauci codices, (neque *Alexandrinus* tamen, ad quem *LOCKIUS* temere prouocat), qui illam habent. Verum, ne dicam, eam ipsam ob causam, quod ea lectio ad sequentia ἐκ πολλῶν παραπτώματων commodior videatur, a vero admodum videri alienum, incommodam in speciem vocem a reliquis omnibus faciliori & commodiori substitutam fuisse: primum *graeci* codices IV, huius lectionis testes a *WETSTENIO* laudati, quorum bini non  
 ἢ



His de summa sententiae & serie orationis expeditis, de verborum potestate constituenda, & plena adornanda oratione, brevis labor superest. Prior quidem enunciatio ita recte constitui possit:

Τὸ κῆριμα ἐξ ἑνὸς παραπτώματος εἰς κατάκριμα ἀνηνέχθη.

Vbi τὸ κῆριμα εἰς κατάκριμα, quae voluit auctor cum nonnulla τῶν παραγμένων gratia coniungi, eam vim habent, vt simul lectores velut ad tribunal diuinum videatur deducere, ibique, quasi suspensos de iudicii exitu, tristici mox in causa sua sententia percellere. Ita nempe quod κῆριμα relinquit ambiguum iudicium, κατάκριμα mox definit. Priorque adeo vox vti latam diuinitus sententiam, ita posterior, ex quo genere ea fuerit, demonstrat. -- Quod sequitur ἐξ ἑνὸς, studio ita positum esse, hiante sententia, ab auctore existimo, quo

nisi apographi reliquorum sunt, teste ipso WETSTENIO in *Proleg.* Edit. N. T. Tom. II. p. 5-9. ad duo redeunt. Deinde Syrum nihilo verius in hanc rem laudat. Nam cum *is graeca* conuertit  $\rho\ \alpha\ \alpha\ \iota\ \delta\ \delta\ \omega$  peccato vnus: id non minus recte potuit ex ἑνὸς ἀμαρτήσαντος deriuasse, quam ἐνὸς μετατήσαντος, ἐνὸς ἀντιλέγοντος & sim. recte conuertuntur: vnus testimonio, contradictione &c. *Vulgata* verius citatur, tamen nec illa omnino debebat, sed, si *Bezae* (in Annotatt. maior. in N. T. h. l.) fides, ex auctoritate aliquot exemplorum duntaxat, cum reliqua seruent *per vnium peccantem*. Ex his igitur credibile est in *graecos* aliquot codices (sunt enim, qui pro ea supersunt, ex *latinizantibus*) istam lectionem immigrasse. In ipsa *vulgata* originem erroris, nescio, an suspicari liceat in ea, quam dixi, versione *Syriaca* latentem, cuius & saepe alias imitatrix esse deprehenditur *latina*, prouti a v. eel. IO. DAV. MICHAELIS, eximio harum litterarum arbitro, §. X *Curarum in Vers. Syr. Actuum Apost.* p. 156. 177 luculenter demonstratum est. Poterant vtique syriacae voces non satis scite iunctae & intellectae (repetunt enim illi sane aliquando genitiui notam? ante adiectiuum post substantiuum positum) hoc parere peccato vno, s. *per vnium peccatum*. Quamquam potuit etiam leui librarii peccato ex illo *per vnium peccatum*, quod ex graeco ipso haustum esse potuit, alterum illud *per vnium peccatum* enasci. Vtrius igitur modo, quod ex ἀμαρτήσαντος haut dubie ortum erat, ex eo curatores isti male seduli, conuersa acie, ἀμαρτήματος proeuderunt. Neque igitur erat, quod praecoptarent cum *Lockio* aliqui, propter commodiorem, vt opinabantur, ad sequentem mox παραπτώματος commemorationem habitum, nisi hoc quidquid est commodi ad verborum sonum reuocare voluissent. Est enim, vt vidimus, eodem vtrumque intellectu.

E



lectoribus integrum relinqueret, vtrumque intelligere, & ἀμαρτήσαντος & ἀμαρτήματος. Quare & ego expletam a me sententiam nolui intelligi ex vno, sed ex vnius peccato; quod vtrumque quodammodo repræsentat.

De posteriori id saltim animaduertere libet, virtutem verbi δικαίωμα, qua fauentem iudicis sententiam significat, ita apertis signis hic proditam esse, propter oppositam vim vocabuli κατὰ κρίμα, vt paene incredibile videatur, quemquam ea de re potuisse dubitare. Caeterum ad explendam attributi sententiam ἐπερίσσευσε vel ἀπέτελει addi recte possit. Quo facto δικαίωμα ipsum iudicium diuinum absoluentis hominibus latum, quatenus illud, post latam sententiam, velut exstat & durat, & omnibus, qui modo potiri eo volunt, promptum & paratum est, significat; & hoc maxime modo tam a δικαίωσει, quae ad ipsam sententiae pronuntiationem, quam δικαιοσύνη, quae ad hominis eo iudicio absolui statum cum maxime refertur, fecerni potest. Haec sua luce, quam cum ex ipso hoc loco accipiunt, tum coll. Matth. XII, xxxvii, Luc. X, xxix, Rom. III, IV & plurimis praeterea s. litterarum locis habent longe clarissimam, ita collustrantur, vt si omnis abesset exterorum scriptorum auctoritas, tamen abunde cautum esset isti, quam forensē vocant, seu quis censoriam vocare malit, horum vocabulorum significationi. Sed est vtique vulgata apud Graecos scriptores, qua integram horum vocum familiam, eadem significatio, illo modico discrimine, quod non aequè ad personas ea referant, sed ad sententias potius, vt δικαίων sit iustum & aequum censere pariterque δικαίωσις ad acclamationem referatur, δικαίωμα autem id ipsum, quod aequum indicatur, quod pro iure statuitur, non vnice sane, sed significet tamen. Quod vel illa Thucydidæa demonstrant: τὸς ἄλλους δικαίω ταντὸ μοι ποιῆσαι, L. IV. c. LXIV. τὴν εἰωθίαν ἀξίωσιν τῶν ἐνομέτων εἰς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιοσύνῃ scilicet a verborum potestatem suis de cuiusque facto iudiciis immutabant. L. III. c. LXXXII. δικαίωματα πρὸς ὅμοις ἔχομεν ἰκανὰ. L. I. XLI init.

Emersi ex his paullo frequentioribus scopulis, caeteris, quae super sunt, hoc breuius iam licebit defungi, quo est minus in oratione turbatum aut impeditum, aut in verbis ac formulis nouum, quod ex superioribus non facile intelligatur.

*Ignitur ita comm. XVII interpretamur:*

IV. Enimvero, si vnus delicto morti liberum in homines arbitrium permissum est, eaque vnus illius pro merito impune vbique terrarum



terrarum dominata est: quanto magis illos, in quos benignitatis diuinae copia redundauit, & quibus innocentiae existimatio, salutare munus & optabile, reddita est, vitae atque immortalitatis regnum quoddam nactus, per vnum illum Iesum Christum in his bonis & ipsos dominari, nullis obnoxios criminibus, consentaneum est?

Hic quidem vocula *γὰρ*, qua superior oratio continuatur, recte potest vsitatam ac primam suam vim tueri, vt causae priorum declarandae inferuiat. Verum hoc ipsum duplici modo intelligi poterat; vt vel iusta subiceretur probatio, i. e. diuersa a superiori enuntiatio, vnde perfecta existeret conclusio; vel *Paulus* hic eadem, quae com. XV docuit, perspicua magis oratione exponere, omnis autem dilucidior sententiae declaratio rationem perspicendi veri continere videretur. Quarum posterior ratio caeteris videtur interpretibus placuisse: idque ex eo suspicor, quod nemo eorum, ac ne *LOCKIUS* quidem, aliquid ad illustrandam vim conclusionis attulerunt, quod erat hic, si vnquam alias, operae pretium, si quidem iustam argumentationem hic viderent. Hoc igitur si sequare: iam *Paulus* id quod com. XVI ampliori sententia dixerat, hic propius definire, aut, quale & quo exitu fuerint tam *κατάνεσμα* quam *δικαίωμα* com. XVI memorata, declarare videatur; ac proinde noua potius vtriusque meriti effecta, quam demonstrationem effectorum modo indicatorum exhibere. Scilicet com. XVI. iudicium diuinum, latum in omnes propter factum vnus, exposuerat s. scriptor; hic ipsam iudicii illius executionem in vtroque casu persequitur: seu reatum ibi culpae, hic poenae, ipsamque poenae exactionem; tum quae sunt his opposita, imputationem meriti Christi, & quae ea continetur, eximiationem innocentiae com. XVI; hoc autem XVII. iura inde nata, ipsaque eorum vsum fructum demonstrat. Atque haec, perinde vt comm. XV, ita inter se contendit, vt non solum, ex similibus simili ratione, parèem Christi merito ad salutem efficaciam tribuat, quam quae primi peccati ad perniciem fuerat; verum etiam, quod multa essent, quae illud quam hoc persuadere facilius poterant, maiorem illi etiam certitudinem tribuit. Vid. quae ad eandem concludendi formam comm. XV diximus. Haec sunt sane eiusmodi, vt, si vnum comma XVII, aut partem duntaxat XVI. spectes, quod accidisse fere interpretibus, arbitror, sententiam sat commodam habitura sint. Verum si cogitemus, summam sententiae com. XVI propositae non eo spectare, vt ipse meriti Christi valor toto genere stabiliatur, id



quod com. XV iam factum erat, sed vt amplissimus ambitus eius, qua mala depulsa (ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων), lectoribus probaretur; ad hoc autem probandum nihil valere illam rationem solutiorem liberioremque: necesse est sane, ni plane ludicrum esse velimus γὰρ illud, quod ita ne *deklarandi* quidem vim tueri possit, vt aliam viam reperiamus, & conclusionem istam quidem illam, enthymematicam tamen contineri com. XVII statuamus. Quod vt distinctius perspiciatur: iuuat integram ratiocinationem breuibus concisam partibus, & suo ordine iunctis ita exhibere, vt vno obtutu lustrari possit. Obseruare igitur in ea licet

1 Fallam sententiam improbatam: *Non pro vnus delicto beneficium exhibitum est* (init. com. XVI.)

2 Veriorem illi oppositam: *Multorum delictorum venia diuino beneficio parta est* (fin. com. XVI.);

3. Vanam contrarii suspensionem

1) propositam: *Nec impedit, quod vnus solum delictum iudicium coeleste in homines armauit* (med. com. XVI)

2) infirmatam ratione; cuius

(1) fundamentum praemittitur: *Si vnus potuit suo facto mortem reliquis consciscere, (adeoque miseros illos reddere)* init. com. XVII;

(2) ipsum argumentum concluditur: *Poterit profecto etiam vnus suo promerito vitam illis ac felicitatem parare* (fin. com. XVII.)

(3) Relinquitur cogitandum: *Illam autem felicitatem parari, nisi suis etiam cuiusque prae factis expiatis, non poterat.* Vnde consequitur verum illud, quod probari debuit: *Ergo ad plura pertinet Christi meritum, quam ad vnum Adami peccatum eiusque, ob societatem criminis, communem omnibus poenam.*

Fortē etiam non in se ita expleri ἐνθυμηματικῆ illa Pauli conclusio com. XVII possit: *Si Adamo tantum licuit in posteros suos, vt suo crimine mortem in illos inmitteret:* (quo facto profecto non ea solum felicitate illos exiit, quam velut haereditate a se traditam accepturi fuerant, verum etiam illa praemia interuertit, quae sua cuique virtus paratura erat: quod enim praemium aut quae felicitas mortuo sperari ultra possit?) *multo etiam magis consentaneum est, Christum sustulisse non solum constitutam Adami delicto poenam, sed suorum etiam cuique criminum veniam parasse,*

His



Hic de summa argumenti constitutis, quod ad singulas huius comm. sententias attinet: in antecedente,

ἐν τῷ τῷ ἐνός παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν διὰ τῷ ἐνός nihil est, quod ex superioribus non repeti facile possit; nisi quod illa accurata circumscriptio repetitioque formulae διὰ τῷ ἐνός vel videatur aliquod singulare consilium auctoris subindicare, quod in ea ratione, quam commo- dum explicauimus, non sat luculenter contineatur; vel, si quale hoc sit, reperire difficile sit, otiosum esse. Sed cogitare debemus, id in vniuersa illa doctrina maximam habuisse offensionem, quod ex vno ad omnes, eam- que sat probabilem causam fuisse scriptori sacro, cur identidem idem inge- reret lectoribus, tametsi ad singulas sententias necessario non pertineret. Ideo- que singulis prope versibus in tota hoc περισχῆ illud sollicitè additum esse animaduertimus.

In consequente, quod est ita scriptum: πολλὰ μᾶλλον οἱ τὴν περισσεῖαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες ἐν ζωῇ βασιλεύουσι διὰ τῷ ἐνός Ἰησοῦ Χριστοῦ.

τὴν περισσεῖαν τῆς χάριτος pariter ac τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης per ἐν διὰ θεοῦ posita esse apparet, atque idem valere: quali tu dicas τὴν περισσεῖαν χάρι- τος & δικαιοσύνης δωρημένην. Praeclare autem vsus est & opportune, ad

viam quasi muniendam demonstrationi, epithetis, quae subiecti naturam ita declararent, vt, quod huic deinde attribuitur, iam ipsum viderentur continere. Nam dum τὸ περισσὸν τῆς χάριτος celebratur, sufficere eam omni- bus omnium hominum criminibus abolendis, significatur: hac igitur parte nihil desiderari. Deinde cum ea gratis praebere hominibus dicitur (δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης): ne ab his quidem aliquam conditionem difficilem aut forte ali- quibus insuperabilem requiri, demonstratur, quae, quo minus ad omnes ea pertinere possit, impediatur. Neque vero si gratis illa venia fieret homi- nibus: ne hoc quidem intelligi poterat, cur ad vnum magis delicti genus, quam ad omnia spectaret. Eandem porro vim habet vniuersa subiecti com- plexio οἱ τὴν περισσεῖαν - λαβόμενοι; vt ostendatur, nec requiri quidquam ab hominibus, nisi vt accipiant beneficium benigne oblatum, nec tamen nisi accipientes, & summa voluntate admittentes, eius fructum percipere.

In his quae huic attributa sunt, nihil obstat, quo minus per ζωὴν cum vitae iure restituito omne simul felicitatis genus & bonorum affluentiam in- telligamus. Quo intellectu & Graeci passim εὐδαιμονίαν & Latini immor-



*talitatem*, ipsumque *vitalis* vocabulum vsurpant. Praestantissimum scilicet bonorum, sine quo nec caeteris frui licet, pro toto genere nominantes. Quare βασιλεύειν ἐν ζωῇ (formula *Latinis* auribus aliquanto, quam *Graecis*, familiariori) liberum & ex pleno iure vsurpatum vitae, salutis & bonorum omnium, ex quibus vera felicitas censetur, & quae optabilem faciant immortalitatem mortalibus, fructum ac possessionem certam, & contra omnia, ab inimica forte vi & insidiis imminencia, pericula fatis munitam significabit. Quo modo eleganter simul & ad intelligendum efficaciter ingens rerum conuersio per Christum facta declaratur, vt τῷ ἐβασίλευσε ὁ θάνατος non iam βασιλεύεται ἡ ζωὴ, sed ipsi homines ἐν ζωῇ βασιλεύοντες opponantur.

De formula, quae auctorem tantae rei commemorat: διὰ τῆς ἐνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ, fatis, vt opinor, ad comm. XV dictum est.

Sequitur iam breuis eorum, qua haecenus demonstrata fuerant, summa & quasi comprehensio comm. XVIII, quam ita videtur repraesentare:

V. Igitur, vt id, quo omnis superior spectat oratio, tandem breui summa complectar: huc, vt videtis, omnia redeunt. Quemadmodum vnus culpa ad omnes homines ita pertinuit, vt omnes iudicio damnarentur: ita & vnus inculcata virtus eum ad omnes homines fructum tulit, vt immortalitate digni iudicati sint. Etenim perinde ac vnus istius violata obsequii religione multitudo omnis peccati rea facta est, ita vnus perfectissima obedientia eadem multitudo innocens & iusta iudicabitur.

De orationis consecutione, prout ea hic continuatur, fatis, vt opinor, ad init. com. XII dictum est. Id modo hic addo, vobis ἄρα ἐν duplicem hoc loco vim sustinere, reuocandi alteram ad superiora lectorum animos, & inceptam quasi telam pertexendi; alteram, quae illis magis etiam propria est, concludendi. Hanc tamen, ex posteriori genere, caeteri plerique interpretes, ac inter eos etiam acutissimi, qui duo omnino comparandi genera in vniuerso hoc loco deprehendere sibi videntur, quorum alterum dissimilitudinem comparatorum, (com. XV); alterum, quod iam prae manibus est, similitudinem ostendat, quomodo tueri possint, non video. Quod cum illis etiam acciderit, qui continuationem suscepti com. XII argumenti se hic videre negent; illi, puto, citius de liberaliori formulae v-  
su



su benigne excusando, quam vera eius in hoc loco potestate, quae nulla esse ex eorum sententia potest, declaranda cogitarint. Reliqui ut habeant, quo otiosae formulae suspicione facile scriptorem s. liberent, tamen, neglecta eius illatiua potestate, mera existet per totum hoc incisum ταυτολογία, hoc minus habitura excusationis, quod ita non e longinquo forte ad iuuandam reminiscendi facilitatem repetatur sententia, sed ea quam vix momento ante, com. XVII, elocutus erat. Nobis autem, pro eo instituto quod adhuc secuti sumus, ita licet sat commode rationes subducere: Cum postremo commate XIV *Adamum*, cuius noxa ad omnes pertineat, ostendisset Apostolus, Christum ea in re retulisse, eique contrarium errorem, quasi ad unum noxae auctorem beneficium Christi spectasset, in it. com. XV reiecit: veramque subinde sententiam, *ad omnes pertinere eius meritum*, & exposuisset, & ex ipsa noxae amplitudine demonstrasset: com. XV med. --- XVII: iam com. XVIII eandem rite demonstratam meriti Christi vniuersalitatem, eum aequae late patente merito *Adami* ad intellegendum comparat. Duplex igitur consilio *Adami* facto & fato utitur *Paulus*: primum tanquam principio demonstrandi, quae ipsam rei propositae veritatem euinceret, com. XV - XVII; deinde tanquam illustrante argumento, quod modum rei demonstratae apte declararet (comm. XVIII.). Quo modo non solum omnis ταυτολογίας species evanescit, verum etiam formulae ἀρα ἐν sua constat vis ac significatio integra. Neque igitur probare possumus eorum sententiam, qui ὡς (ὡσπερ) & - ἔτω hic non tam de similitudine, quam de pari utriusque rei certitudine intelligi volunt, quo facto rediret scilicet ipsa illa, quam modo reiecit ταυτολογία.

De singulis sententiis haec observamus: Comm. XVIII. ὡς δὲ ἐνὸς παρρησιασματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς κατάνομα ἔτω καὶ δὲ ἐνὸς δικαιοματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς δικαίωσιν ζωῆς. generalissima notione ea comprehensa sunt, quae ad hanc contentionem proximè pertinebant, abstracto ab reliquis animo; vnde id ipsum euenit, ut in verbis admodum parca sit oratio, & non nisi summa capita & velut extrema rerum fastigia attigerit; quod ut ad symbolicae cognitionis distinctionem non est fere comparatum, ita intuitum & quasi sensum propositarum rerum & rationis, quam habent inter se, mirifice iunat. Vtraque autem enuntiatio ita breuissime expleri possit, ut ἢ δικη ἀπέβη attributi loco cogitetur. Quo facto



δι' ἐνὸς παραπτώματος, propter consequens potissimum δι' ἐνὸς δικαίωματος, & similes comm. XII. XV. XVII formulas, ita intelligendum fuerit, vt valeat διὰ παραπτώματος ἐνὸς ἀνθρώπου δικαίωμα autem hic commemoratum perfectissimam Christi innocentiam & iustitiam, qualis & omnem eius vitam actionesque omnes condecorauit, &, quod huic consequens est, non agnoscī in iudicio diuino non potuit. Praeclare huc aduocatus est a I. C. WOLFFIO Aristotelis locus ex *Eth. Nicomach.* lib. V, vbi hic (Opp. T. II. p. 17. Ed. Erasmi. Basl. 1531.) δικαίωμα per ἐπαινόδωμα τῆ ἀδικήματος (quae vox apud WOLFIVM restituenda pro τῆ δικαίματος) explicat. Veruntamen ad rem ipsam & vniuersum scopum orationis Paulinae potius, quam primam vocabuli vim, prouti id hic scriptori s. usurpator, id referre malim. Hoc enim, pariter ac in *Adamo* παράπτωμα, quocum hoc contenditur, praecipue ipsam Christi incalpatam virtutem ac iustitiam, quae personae ipsius propria fuit, designare consentaneum est, quae vno demum ἐπαινόδωμα τῆ ἀδικήματος (τῶν ἀνθρώπων) sit, cum his imputatur. Hoc eam quoque in rem tenendum esse iudico, ne δικαίωμα tanquam causa cum effectu deinde nominato, τῇ δικαίωσει ζωῆς confundatur. Denique ipsa haec δικαίωσις ζωῆς iudicium, quo quis vita dignus pronuntiat, declarat. His generatim de ipso euentu & causis illius praeceptis, iam comm. XVIII (quod & ipsum, propter continuationem sententiae, secus atque initio constitueramus, paucis lustrare iuuat)

ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τῆ ἐνὸς ἀνθρώπου ἀμαρτωλοὶ κατασέθενται οἱ πολλοὶ ἕτα καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τῆ ἐνὸς δικαίου κατασέθενται οἱ πολλοὶ

modus & ratio quaedam, quae quomodo commemoratae modo causae eum euentum habuerint, aliquanto propius declarent, subiunguntur, quae in eo ponitur, vt vtriusque factum, *Adami* & *Christi*, tanquam proprium vniuerso humano generi, in iudicio diuino reputerur; seu, quae est verbi κατασέθεναι vis maxime propria, is eorum status atque ea conditio futura fuerit, quam vterque suis promeritis fecisset, idque, vti ex comm. XVI & XVIII manifestum est, in iudicio diuino, vt homines tanquam ipsi rei eorum, quae ab vtroque gesta sunt, coram illo iudicio constituantur. Ac GROTIVS quidem, qui, declinaturus scilicet hanc sententiam minime gratam aut fauentem suis opinionibus, ita tractati sunt, inquit, quasi peccassent actu, nempe quia addicti sunt morti; nihil agit aut pro-  
mo-



mouet. Etenim si ita *tractati* sunt; necesse est sane, ita *iudicatos* etiam fuisse, nisi pro libidine, quae ne in hominibus quidem, nisi insigniter nequam, locum habet, Deum egisse, suspicionem facere velit. Verum hic in altero membro interpretando longius, etiam abit, eoque respici haud obscure, contendit, ad *Ies. LIII, XI per sui notitiam iustos faciet iustus servus meus multos*. Scilicet exemplo absolutae virtutis ad imitandum illis proposito. Quod *εὐγεμία* quomodo potuerit magni caetera ingenii vir non iam dicam cum plerisque huius sectionis enuntiationibus ipsa luce clarioribus, sed vel omnino cum illo apparatu & sumtu orationis, quem in hoc argumentum fecit sacer scriptor, conciliare, prorsus nequeo suspicari. Hoccine erat, obsecro, quod ita ex alto quasi moliri, & firmare argumentis acute etiam excogitatis, & iterum atque saepius, quasi reluctanter lecturum ingenium scripturum, inculcare Apostolum necesse erat, ut tandem iis persuaderet, salubri imitantibus (si quibus hoc licuisset tamen) exemplo fuisse diuinam Christi virtutem? Sed agnosco vim opinionum; & cum tanti viri ingenio eam imperitare video: agnosco idem coeleste munus, possessionem veri, gratis Deo immortalis agendis, non fumendis animis dignam materiam.

Ad singulas dictiones defensionae modo sententiae quod attinet, primum eleganter & ad cogitandum simul efficaciter *παράκοή* & *ὑπακοή* aduersis frontibus sibi opponit inuicem s. scriptor, ut & ad eandem virtusque factum normam exigendam fuisse, ostendat, eundemque quasi terminum, vnde proficisci latum de iis iudicium debuerit, & quam vario exitu & discrepantibus consiliis ad eam se composuerit uterque, intelligatur; quae est illa similitum paene vocabulorum, cum exigua declinatione iunctorum, ad lectoris paullo ad intelligendum celerioris animum vis non dubia. Deinde ipsa per se vocabula ad declarandam rei naturam aptissime adhibentur. Illa praesertim *παράκοή* notatio non solum generalius τῶν παραπτώματων nomen genere ac forma propius definit, atque, id delictum violato expresso mandato diuino admissum fuisse, demonstrat; verum etiam modum quoddammodo, quo prognatus ac velut exclusus sit infelix ille partus, ostendit. Atque vno prope verbo difficilem illam & multis agitatam disputationibus quaestionem, quomodo existere in homine sancto atque integro peccatum potuerit, dirimit, dum aversa ab diuino mandato cogitatione, atque oblectata attentione (quae est prima verbi *παράκοή*, *negligenter audire, ut vix meminervis*, potestas) illud euenisse demonstrat. Tum quod



huic oppositum est, ὑπακοή cum proprie lenem auditum, qui obscurius etiam dicta celeriter excipit, significet, perfectissimam Christi obedientiam legi diuinæ eiusque sanctionibus præstitam, tanquam expiaticam compensatricemque illius negligentia, lectorum cogitationi subiicit.

Denique in postrema enuntiatione: δικαιοι κατασεδησονται οι πολλοι, cum οι πολλοι tam propter rationem oppositi, in priori membro, quam ob nominatos expresse comm. præc. in simili casu πάντες ανθρωποι, ad omnem hominum multitudinem referri debeat: hanc potissimum ob causam futuri temporis verbum illi iungi a scriptore sacro censeo; eiusque eam vim esse, vt consilium de hominibus diuinum potius, quam rei euentum (qui sane non ad omnes pertinet), seu destinatum omnibus diuina voluntate beneficium significaret, quod ipsum *desinari* habet cogitationem futuri. Quamuis eorum sententiam minime improbandam, sed cum hac coniungendam & ipsam putem, qui ad perpetuitatem eius beneficii per omnia deinceps sæcula eam vocis formam referunt. Sed illa explicatio necessaria erat ad veritatem sententia tuendam. Vnde protinus apparet, illorum sententiam consistere non posse, qui ad beatarum post fata mentium statum omnis plane labis expertem hoc ipsum trahunt. Neque enim hic ad omnes homines pertinet.

Hæc fuerunt, quæ ad illustrandum eximium locum, & declarandam scriptoris sacri sententiam dicenda habuimus. Superesset iam, vt ad ipsam eius argumentum vberius declarandum, illustrandumque ex aliis sacrorum librorum partibus, nos conuerteremus, prouti, in primis de altero eius momento, imputatione inquam peccati primigenii ad reatum humani generis, constitueramus. Verum quod iam longius excreuit tractatio (neque enim licebat, utpote in continenti & ex se apta oratione, breuiorem commentando terminum ponere); nec illo huius disquisitionis loco paucis verbis defungi æquum est: integram hanc partem alii opportunitati seruabimus; quam, si Deus faueat consiliis, proxime occupabimus.

Errata quaedam emendanda

- p. 1, l. 14 l. iustrando p. 8, l. 21 l. scriptorem p. 13, l. 15 pertinet  
 p. 20, l. 10. a fine: uoxa p. 20 l. 4 a fin. si malam p. 20, l. 2  
 a fin. eandem multo p. 21, l. 13 plenissime reparauit p. 29  
 l. ult. & 4 a f. l. ἀποδοσιν & ἀποδοσει p. 30, l. 2 impeditior  
 p. 34, l. 7 a fin. Emerssi





99 A 6970

ULB Halle

3

002 824 85X



Retro ✓











5

DE  
R A T I O N E  
QVAM INTER SE HABENT  
HVMANI GENERIS IACTVRA  
ET REPARATIO

DISPVTATIO THEOLOGICA  
PRIMA

QVAE EXPONIT DE LOCO CLASSICO

*Ep. ad Rom. c. v. cōmm. XII. XVIII*

---

E A M

PRAESIDE

IO. DAVIDE HEILMANNO

THEOL. D. ET PROF. ORDIN.  
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
A. D. I IVNII A. MDCCLVIII

DEFENDET

CONRADVS DANIEL SCHVMACHER

HAMELIENSIS  
PHILOLOGICI SEMINAR. SODALIS

---

GOETTINGAE

TYPIS SCHVLZIANIS.

